


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 3;Leibn. Marg. 72, [1] - -

PUBLIC DOMAIN


Leibn. Marg. 72

Randnoten
von Leibniz

Niedersächsische
Landesbibliothek
Hannover

vgl. Schmid, de atheismo
eradicando, Argentor. Vandeli-
corum 1669, I. 131


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 3;Leibn. Marg. 72, [2] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 3;Leibn. Marg. 72, [3] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 3;Leibn. Marg. 72, [4] - -
PUBLIC DOMAIN

THEOPHILI SPIZELII

DE

ATHEISMO ERADICANDO

AD

VIRVM PRÆCLARISSIMVM

DN. ANTONIVM REI-

SERVM AVGVSTA-

NVM, &c

EPISTOLA.

ACCESSIT PIUS

LITERATI HOMINIS

SECESSUS.

AVGVSTAE VINDELIC.

APUD GOTTLIEB GOEBELIUM


TYPIS KOPPMAYERIANIS

clɔ Iɔ CLXIX.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 3;Leibn. Marg. 72, [5] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 3;Leibn. Marg. 72, [6] - -
PUBLIC DOMAIN

VIR PRÆCLARISSIME,

QUæ ſingula cæteris non vulgarem parare ſolent nominis claritatem, Doctrina videl. varia & recondita, linguarum cognitio, nitor ſermonis, mens altiorum feliciſſima indagatrix, & quam ſupra omnem laudem eſſe judico, ſolida ſinceraque PIETAS, prudentiæ ſingulari ſociata; ea dulci quâdam conjuratione in TE unum coiviſſe nemo dubitabit, quisquis præter cætera ingenii Tui exquiſita monumenta, doctiſſimam de ORIGINE ET PROGRESSU ANTI-THEISMI ſeu ATHEISMI EPISTOLAM eo quo par eſt ſtudio & attentione legerit atq; perluſtraverit. Etenim cum ad præclaram Naturæ Tuæ indolem, vehemens à teneris ſtudium & contentio laboris acceſſerit, mirum non eſt Te duabus hiſce alis ſubvectum, ſodales cæteros

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 3;Leibn. Marg. 72, [7] - 1
PUBLIC DOMAIN

longissimè prætervolasse, & aureum Jovis currum (ut cum Platone loquar) indefesso volatu esse comitatum; ORDINE (ut existimo) sive certa instituendorũ studiorum ratione adjutum maximè, cum experientia Magistra didiceris, ea quæ ordine instituuntur, minore laboris ac temporis impendio perfici, nec solum citius & commodius, verum etiam rectius solere absolvi. Ast potissimam (ut dixi) laudem meretur insignis Tua & egregia PIETAS, suavique divini amoris igne accensa charitas, inde elucens clarissimè, quod collectis Sacræ variæque doctrinæ copiis neutiquam ad animi solius oblectationem, aut pompam inanemque ostentationem abuti volueris, verum eas SS. Numinis gloriæ & Ecclesiæ utilitati ultrò consecraveris, ad priscorum Patrum exemplum, Justini, Clementis, Basilii, Gregorii Nazianzeni, Joh. Chrysostomi, Hieronymi, Augustini aliorumque, qui cum variis Gentilium disciplinis ingenium instruxissent, postmodum suis ipsos telis Gentiles (ipsosque atheos) aggredi, eorumque spoliis Ecclesiam Dei ornare studuerunt. Quis itaque sin-

ſincere θεοφιλὴς tuam non probaret ſacram induſtriam? Quis eximium pro SS. Numinis honore ac cultu fervorem culparet? Quis primam atque palmariam charitatis mutuæ legem Te obſervaſſe dubitaret? cùm unum eundemque ſcopum mecum habueris propoſitum, eadem omninò elegeris, ac in iisdem ſis verſatus actionibus, hoc eſt execrandam Atheorum impietatem, paſſim radices profundiſſimas agentem, mecum deteſtatus publice, pariter ac circa rem omnium maximam SS. NUMINIS gloriam, ab iſtis humani generis peſtibus miſere hactenus conculcatam ſollicitè fueris occupatus.

Optandum equidem foret inter eos qui Chriſtiano nomine inſigniri cupiunt, talia monſtra haud inveniri; Aſt contrarium triſtis clamat experientia, teſtantur variæ Theologorum aliorumque piorum & cordatorum virorum querelæ, nimirum, *quod* (verba nonneminis adſcribo,) *complures ſint hodie qui animo negent Divinitatem, non tamen ita paſſim ſint noti, premunt enim ſilentio hoc myſterium metu legum, nec auſi evulgare niſi apud familiares.* Imò verò (te-

ſte Mar. Merſenno Ord. Minim. in cap. 1. Gen. f. 233.) *vix quisquã ſit qui non fateatur, nefandum illum errorem URBES etiam CATHOLICAS ita inficere, ut jam atheiſmo familiaria plurimorum colloquia ſcateant, & ſeriæ multorum maleferiatorum cogitationes in rationibus inveſtigandis impendantur, quibus Deum ex mente hominum & è medio tollant, & ex conſequenti atheiſmum omnino ſtatuant.* Quamvis enim pluribus perſuaſum ſit, eorum, qui Deum directè unquam negarunt, aut etiamnum negent, ex viris doctis vel nullos eſſe, vel pauciſſimos, ex communi populo nonniſi ſceleratiſſimos, inter Gentes Indorum nonnullas portenta hominum potius quam homines, certè quoad vivendi modum beſtiis ſimiliores quam hominibus; attamen in ea nos jam incidiſſe tempora, queis plusquam barbaræ & execrandæ de ipſa SS. Numinis non-exiſtentia cogitationes paſſim invaluere, & queis ſectæ omnium peſtilentiſſimæ nimio plures nomen dedêre, præter alia quæ ſilentio jam prætereo plurima, me dubitare non ſinunt frequentiſſimæ illæ Theologorum & Concionatorum di-

diverſarum partium querelæ. Quorum alius, nullam ſectam, nullam Religionem eſſe locorum amplitudine, vel Regionum & Provinciarum diverſitate, ſecta ἀϑεότητος numeroſiorem pronunciavit: Alius cauſas afferens ſuſcepti à ſe conſilii conſcribendæ Theologiæ Naturalis in hæc verba erupit: *Propè refugio efferre probrum noſtri ævi, ſed tamen dicendum eſt; In ea tempora incidimus, in quibus dixit inſipiens in corde ſuo* NON EST DEUS. Alius non malè Cacodæmonem adlaborare obſervavit, ut in polytheiſmi locum, quem Chriſtus Dominus ſuo adventu diſcuſſit, Atheiſmum ſubſtituat, Numini haud minus injurioſum; Alius tandem isque Theologus ſpectatiſſimus, haud ita pridem ad me ſcribere non dubitavit: *Latius certè peſtis hæc ſerpſit, quam quisquam cogitare poſſet, & vereor, ne brevi tempore aliquam in Germania noſtra quod hoc ſcelus attinet videamus Italiam vel Galliam, quam multi enim ex illis peregrinis terris nihil præter hoc unum, de quo ſibi intimè gratulantur adferunt, felices ſi omninò nihil reportaſſent futuri. Interceſſit mihi non cum uno*

multa familiaritas & consuetudo, & horret sæpe animus repetere quæ ab illis nefanda audita; usq; adeò ut mirarentur, aliquos emunctioris nasi esse, qui non arcano in pectore idem ipsi scum statuant, sed sibi certò persuadeant quæ Religionis, imprimis Christianæ sunt. Unus aliquando eo audaciæ procedebat, ut de Augustino aliisq; qui inter Patres paulò doctiores & prudentiores fuissent, imò de plerisq; in V. T. apud Iudæos Heroibus, quorum etiam sacra scripta nunc veneramur, dubitare nollet in eodem fuisse censu, quæq; voce & calamo pro Religione egerint, ex necessitate personæ egisse. Nonne stant comæ cum hæc audimus vel dicimus relata? Non comæ stetêre solum, verum totus profectò exhorrui, geliduſque coibat formidine sanguis, cum infrunitam hanc pessimorum istorum Theomachorum audaciam imò insaniam primum percepissem. Quid porrò Mî Reisere animi fuisse existimas, postquam Celeberrimi Rectoris Ruthenei Dn. Ioh. Sebastiani Mitternacht Epistola quædam Nuncupatoria Dissertationibus Historicis præfixa, me fecit certiorem, anno currentis seculi quinquagesimo secundo infaustum

fauſtum quendam libellum ſine mentione authoris & loci prodiiſſe, Vulcani ac Plutonis flammis mancipandum, in cujus §. x. hæc verba habeantur : *Biblia Sacra ſæpe legas non cum ſtupore (quem dicunt devotionem) ut vulgò, ſed cum cura & judicio. Eſt ubi impingit Paulus; eſt ubi ceſpitat Petrus. Quemadmodum autem legis Livium, Froſchmeuſelerum, aut Arcadiam Comitiſſæ de Bembrok; ut quædam laudes, quædam negligas, & honeſtè prætereas, quædam aliter dicta & ſcripta velis: ita fieri amat in lectione Biblica.* Increpet Te Deus ô Satanas! Eſto, ſcriptum illud duntaxat eſſe Satyricum, nec præcipere quid faciendum, ſed quid fiat repræſentare, at verò (dico cum laud. Rectore) vix milleſimus quiſque lectorum id animadvertet; Homo impius certè haud parum in impietate, lectione ſacerrimi illius libri confirmabitur, dum deteſtandis præceptionibus quasdam ſubjectas rationes aut fucos potius fumoſve deprehendit. Nec verò oleum igni adfundendum videtur. Quem autem in cenſum illos referendos eſſe exiſtimas, *qui omnem religionem ad artes politicas reducere*, & (teſte recentio-

ri quodam ſcriptore de S. I. G.) *optimam illam vocare non dubitant, quæ & cultores ſuos maximis divitiis atq; honoribus cumulavit, & efficaciſſimis inſtructa eſt mediis, ad tondendas ſimul & in obſequio retinendas oviculas*; imò verò ſtudiosè diſpiciendũ eſſe profitentur, *ut via ſalutis, circa quam Sacerdotes adeò laborent ad Rationes quadret Politicas; ſiquidem* (uti loquuntur) *optimum Numen per cultum ſui, civilis vitæ tranquillitatem haud cupiat perturbari.* Quid obſecro tam ineptum & à verâ ratione alienum, quam ut terreno Regno Regnum Dei, Eccleſia ſeculo, Chriſtus mortali Principi, Regina & Rerum omnium Princeps PIETAS civili Politiæ fœda ſervitute pediſſequa conſtituatur? quid intolerabilius magisque præpoſterum, quam ut earum rerum minor habeatur ratio, quæ uti præſtantiores, ita etiam cumprimis ſunt neceſſariæ? Quid verò tam excellens magisque humano generi neceſſarium, quam *Via Salutis*, de qua omnes Chriſtiani debent eſſe ſolliciti, & in quâ ſola veræ æternæq; felicitatis cardo verſatur? Anne obſecro boni & præclari tranquillitatis publicæ vin-

vindices ij ſunt appellandi, qui Regni terreni curam Rei Sacroſanctæ, auguſtiſſimæ nimirum Religioni præferendam exiſtimant, de temporalibus & caducis præter modum, de ſpiritualibus verò parum ſolliciti; ſi tamen ſolliciti cenſeri debeant, qui vix ſibi diſpiciendum arbitrantur, quem Dei cultum, quam Religionis formam homines ſuſcipiant, dummodo terrenis Regnis & Imperiis, Rebuſque publicis apprimè conſulatur. Quaſi verò hæc inferiora diuturna eſſe poſſint, ſi rerum divinarum fulcro non ſuſtineantur. *Nemo bellè* (ſcribit Gregorius Magnus ad Maurit. Imp.) *rectè poterit terrena regere, niſi noverit divina tractare, pacemq; Reip. ex univerſalis Eccleſiæ pace pendere: Contemptus enim in ſuis & à ſuis Deus, minora etiam illa, quæ prima putantur eripiet.* Et quid neglecto ſacroſancto illo veræ Religionis ſtudio aliud ſupereſt, quam ut hæc paganorũ apud D. Auguſtinum (lib. II. de Civ. Dei c. 20.) verba valeant, quæ modernis quibusdam Politicis egregiè congruunt: *Tantum ſtet* (inquiunt) *tantum floreat Reſpublica copiis referta, victoriis glorioſa, pace ſecura:*

quid ad nos? imò ad nos ma is pertinet, si divitias quis q̃ semper augeat, quæ quotidianis effusionibus suppetant, per quas sibi inferiores subdat quis q̃ potentior; obsequantur divitibus pauperiores, causa saturitatis; non jubeantur dura, non prohibeantur impura, abundent publica scorta. - - Extruantur amplissimæ at q̃ ornatissimæ domus, opipara convivia frequententur, diu noctu q̃ ludatur &c. ille sit publicus inimicus cui hæc felicitas displiceat: quisquis eam mutare tentaverit, eum libera multitudo avertat ab auribus, evertat à sedibus, auferat à viventibus, ILLI HABEANTUR DII VERI, qui hanc adipiscendam populis procuraverunt. In summa tantum efficiatur, ut huic felicitati nihil ab hoste, nihil à peste, nihil ab ulla clade timeatur. Quæ licet in paganis, veræ sapientiæ luce neutiquam illustratis aliquousque toleranda, à Christianis tamen animis meritò longissimè sunt proscribenda, imò execranda penitus, cum optimus Salvator alium omninò curarum nostrarum ordinem his verbis præscripserit; *Primum quærite Regnum Dei & justitiam eius*, h. e. de vero Dei cultu stabiliendo estote solliciti, *& cætera adiicien-*

cientur vobis; Verum hæc ſurdis auribus audiunt ij, qui in propria ſollicitudine, prudentiaque civili plus momenti ponunt, quam in Chriſti aut monitis, aut præceptis aut pollicitis. Ecquis Philotheus toto non contremiſceret pectore, ſi in Orbe Chriſtiano talia hominum monſtra reperiri intelligat, quæ (celebri quodam Scriptore in Arcanis Politico Atheiſticis perhibente,) *Religionem quidem colere, ſed nullam habere, Laicis eam in culcare, nullam ſervare, Religionem prætendere, Deorum nomen in ore, in corde nunquam circumferre; Pro Religione omnia, ex Religione nihil ſuſcipere, Iuſtitiam plus danti conferre; Proprium Intereſſe ſemper; publicum raro quærere, Famam non curare, cuncta Rationi ſtatus ſervientia conquirere, eamq; atheiſticè per fas ſive nefas tueri* haud quaquam vereantur. Neque verò omnibus Politicis hanc dicam ſcribere, omnesque tam fœdo notare ſtigmate vir prudens conabitur, cum inter eos non pauci Deum ſincerè colentes, Eiusque gloriam pariter ac emolumentum publicum ex animo quærentes inveniantur: Hos equidem protinus abhorrere exiſtimo

ſtimo à decantata illa PRUDENTUM Religione, ſectas diverſas earumque partes commiſcente. jam ex hâc jam ex alia quod congruum videtur amplectente, inque ſuam rem vertente, Prudentiæ tamen elogio ſuperbiente, eò quod à prudentioribus ſeculi non abſque ſingulari (uti quidem ipſis videtur) artificio eligatur. Quemadmodum PHILOSOPHICA etiam Religio propter ſummam ab obligatione credendi libertatem nuncupatur, cuius ſectatores veluti Philoſophi nullius authoritate teneantur, inque nullius verba velint jurare Magiſtri. *Neq; enim quod principiò notandum* (inquit peſſimus ille Hominis Politici informator) *uni Religioni Te mancipare ita convenit, ut ei tenaciter adhæreas, &c.* Nimirum ſicuti Gentes quædam annuas habent Religiones, easque quotannis mutant cum Calendario; ita ſcopus iſtorum hominum eſſe videtur palmarius, ex utilitate ſuam metiri Religionem, & pro re nata vertumnum agere poſſe, citra tamen notam levitatis evidentiorem. Sunt qui multiformem huiusmodi Religionem (notante Theologo Lips. Celebratiſſimo D. Hie-

Hieron. Kromayero in peculiari de Religione Prudentum dissertatione, Locis Theolog. Antisyncr. nuper editis annexâ) vocare solent GROTIANAM, ab eius sive authore, sive singulari fautore HUGONE GROTIO, qui primum Reformatorum Religioni addictus fuerit, postea Remonstrantium; Sociniana insuper dogmata (quæ dudum scriptis impugnaverat) pingere cœperit, variisque Nationibus Gallis, Suecis, Anglis vela faciens, diversarum sectarũ placita in scriptis suis disseminaverit, nec ab ipsis Judæorum pudendis abhorruerit erroribus, neque etiam à Romanensium Religione alienus fuerit; quo de singularem observationem merentur verba Henrici Valesii ex Orat. in obitum Dion. Petavii Iesuitæ Parisiis 1653. habitâ: *Quid non præstitit* (scil. Petavius) *ut Clarissimum Virum Hugonem Grotium ad Catholicam Communionem adduceret? Erat ille quidem minimè à nobis alienus, ac pænè noster: quippe qui doctrinam Tridentini Concilii in OMNIBUS sese amplecti palam profiteretur. Id unum supererat, ut Ecclesiæ sacrarium ingressus communioni nostræ sociaretur, quod*

ille

ille nescio quas ob causas, dum ad Catholicæ fidei unitatem plurimos secum sperat adducere, consultò differebat. Possem hoc loco sermones illos vobis commemorare, quibus Petavius eum adortus est, tunc cùm ille Lutetiâ excedens, post Legationis Suedicæ munus expletum, Petavium valedicturus invisit. Verum in aliud tempus hæc seponere satius fuerit &c. Unde profectò non mirum, quod Grotius novum in Religione monstrum, & omnium sectarum advocatus audire cœperit; eorumque Neopoliticorum Dux atque antesignanus dictus fuerit, qui diversas atque adversas religiones in quavis Republica permittendas esse commiscuntur. A quo tam infausto principio, quo humana divinis, sacrisque profana miscentur, & quæ sunt inferiora anteponuntur dignioribus; dictu incredibile, quam multa à divinis abhorrentia Scripturis, & ab orthodoxæ Ecclesiæ usu discrepantia, omnique Religioni repugnantia consequantur. Nonne verò eius farinæ homines tandem planè fateantur necesse est, se nulli Religioni studere, nulli ex animo addictos esse; nec se se religioni, sed hanc suis

ſuis commodis accomodare; exemplo Senecæ aſſerentis, *Romanorum Religionem magis ad MOREM quam ad REM pertinere, eamq; à ſapiente ſervari tanquam legibus juſſam, non tanquam Deo gratam* Imò ut Scævola Pontifex ajebat: *Expedit falli in Religione Civitates; quia nonniſi ad homines in metu quodam & officio continendos eandem proponi cenſendum eſt.* In hoc etiam imitantes Themiſtium Philoſophum, qui Valenti Imp. perſuadere conatus eſt, *Deo gratam eſſe ſectarum varietatem*, ut ita pluribus modis colatur; pluris Deum fieri exiſtimans, ſi difficilius cognoſceretur. eumque ſecutus hæreſiarcha quidam Rhetor (cuius in lib. de hæreſ. Auguſtinus meminit) *omnes ſectas veras eſſe* docuit. O Deus bone, ô Patris Sapientia, in quæ nos tempora reſervaſti! ô fidem emortuam! ô charitatem extinctam! ô infauſta ſecula!

Magis verò luctuoſum, nullisque ſatis deplorandum eſt lachrymis, ſub Chriſtiano nomine imò larva talia ſæpe hominum monſtra latuiſſe, quæ omni Religione & pietate conculcata, SS. Numinis eiusque verbi (lucis æternæ veritatis) ſplendorem

dete-

detestandis suis sarcasmis extinguere cogitarunt, quemadmodum Thomas Campanella in Atheismo Triumph: cap. XIV. fol. 139. *Machiavellistas quosdam, Evangelii & Apostolorum Historias negantes, & falsitatem inesse autumantes, in loco quodam celebri, pictis Apostolis flagellatis, titulum PRO FALSARIIS* (proh scelus!) *imposuisse* memoravit. Et Theoph. Raynaudus in Theol. Nat. limine tales neutiquam decisse annotavit, *qui ita naturæ repugnent, ut sibi patiantur exsculpi ex animo eam quam illa mentibus nostris consignavit Dei informationem, quod scelus haud ita pridem duo flammis expiarint in duabus præcipuis Galliæ urbibus*; Nimirum Godofredus à Valle, libri nefandi de *Arte nihil credendi* author, Parisiis combustus, & Iul. Cæsar Vaninus, scelestus ille Atheismi Apostolus, Tolosæ 1619 ad flammas damnatus, cuius tragici exitus cum Caspar Barlæus Epist. CLXII. ad Arnoldum Buchelium mentionē feciſſet, hæc verba apposuit: *Summa hæc istorum hominum imprudentia est, QUOD TALES CUM SINT, SIBI SOLIS NON SINT*; Hoc scil. inter doctrinæ quam profite-

fitentur athei arcana est, dissimulare suum virus, & in ima tantum mente timidè submurmurare, non verò librorum suorum frontibus inscribere detestandum illud axioma: *Non est Deus*; Hoc enim (inquit D. Chrysost. in Psal. XIV.) nemo facilè audet dicere, etiamsi ausus fuerit cogitare. De Sabinis olim vulgariter dicebatur: *Somniant quod volunt*; id locum magis habere videtur in omni genere atheorum, cum hi Deum non esse somnient, quia Eum sibi non præesse exoptant; *Nolunt* (inquit de iis Ambrosius Lib. 1. de offic. c. 14.) *supra se esse iudicem quem nihil fallat, nolunt Eò dare occultorum scientiam, qui occulta sua prodi metuunt. Hi igitur prava quadam impunitatis cupidine illecti, vim inferunt suæ naturæ ad Dei imaginem conditæ, atq; adeò ad cognoscendum prototypum suum naturaliter propensæ.* Hæc est enim ut D. Augustinus (Tract. 106. in Ioh.) ait vis veræ divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti non omninò ac penitus possit abscondi. Neq; verò ex ullo Dei timore aut reverentia animi sui sensa tegere studeant athei, sed quod reformident retro omnium

ſeculorum & ſapientum conſenſum, ne deſipere ſoli videantur. Quâ ratione tamen in occulto virus ſuum ſpargere conſueverint, Petri Firmiani horrenda planeque ſtupenda, de nocturnis atheorum in urbe Pariſienſi congreſſibus relatio (Epiſtolæ meæ ad Celeb. D. Meibomiũ de Atheiſmi radice inſerta) clariſſimè indicavit. Utinam verò illa DEO atque veritati inimica impietas in noſtro pariter ac peregrino ſolo non tantas radices ageret, ut (laud. Theologo teſte) verendum ſit, ne brevi tempore aliquam in Germania noſtra, quod hoc ſcelus attinet, Italiam videamus vel Galliam? Quis obſecro Dei & Religionis amans hodie cum Magno quodam Viro in verba hæc graviſſima non erumperet: *Ades mens, ſtile, manus, exſurgite & incaleſcite ad illum aſſerendum, qui vos fecit, direxit movit! Nam mihi quidem, quæ non dicam amicitia, ſed uſus vel notitia cum illo ſit, qui à communi ſocietate & ſenſu hominum ſe abjunxit.* Si Tertullianus inter Ponti Euxini Barbaros, ſedesque eorum incertas, vitam crudam, libidinem promiſcuam, & plurimum nudam, parentum cadavera

vera cum pecudibus cæsa, atque convivio convorata, cœli duritiem, diem nunquam patentem, Solem nunquam liberum, aërem nebulis turbidum, totum annum hybernum, omnem flatum aquilonarem, amnes glacie concretos, montes pruina exaggeratos, feritatem, sacrificia Taurorum, amores Colchorum, Caucasorum cruces; nihil tam barbarum ac triste reperit, quam quod illic Marcion natus esset, qui duos Deos adserebat, tanquam duas naufragii sui symplegadas; Quid obsecro de illis dicemus, qui non Deorum pluralitatem, non binarium invehunt, sed omnem abnegant divinitatem, omnem divini Numinis cultum, & reverentiam abiiciunt? Porrò, si propter Deorum multitudinem (si tamen binarius multitudine gaudet) Marcion jure dici potuit Scytha tetrior, Hamaxabio instabilior, Massageta inhumanior, Amazonia audacior, nubilo obscurior, gelu fragilior, hyeme frigidior, Istro fallacior, Caucaso abruptior; Quibus verbis, quâ oratione in eos erit invehendum, qui Numen omne pernegant; nunquid in eos omnes creaturæ deberent insurgere? Athe-

nis bona illorum, quorum in Deum cognita esset impietas, hastæ publicæ subiiciebantur, eaque res columnis insculpebatur, ut universi intelligerent, publica execratione id esse sancitum. Nunquid facilius Christiani Deum verum sincerè colentes pepercerint atheis, qui longè pejores Gentilibus, aut cuiuscunque furfuris hominibus nequiores atque pestilentiores. Ast quam verè ante tot seculorum decursa tempora acerrimus ille Religionis Christianæ vindex Iustinus Martyr, in sua ad Antoninum Pium Apologia scripsit: *Nihil contendunt aliud ij, qui dæmones vocantur, quàm ut homines à DEO conditore suo, & primogenito eius Christo abducant; & eos quidem, qui se humo tollere nequeunt, terrenis & manufactis affixerunt, affigunt q, eos verò qui ad rerum divinarum contemplationem se erigunt, (nisi modestè sentiant, & puram liberam q, à perturbationibus vitam degant) elidentes in impietatem* (atheismum) *præcipitant*. Ita sapienter Iustinus: qui alta quadam mente providit, quo astu rudes & idiotas, quâ item fraude doctos & rerum peritos Dæmon soleat impugnare; illos

scil.

scil. velut ignobilis plebeiqúe ingenii, terrenis quisquiliis agglutinando, opibus, deliciis, honoribus, simulachris; hos autem, tanquam sublimioribus intentos & cœlestibus inhiantes, in superbiam & arrogantiam evehendo, ac demum, ubi excelsiora suo fastigio audere, & proprio inhærere judicio persuaserit, in impietatem seu atheismum immaniter proturbando. Quo enim ipse in Deum flagrat odio, eo etiam alios erga illum affici desiderat, & cum aliquem DEI in se memoriam conservantem conspicatur, eam protinus extinguere, & multitudinem blasphemiarum ac tentationum horribilium ingerere conatur, ita suos quamprimum dolos expedit, tenebras offundit, variasqúe terribiles illi imagines repræsentat: Quinimò Scepticas nonnunquam de Rebus divinis exercitationes affert in medium, quarum occasione non pauci in profundum atheismi barathrum sunt prolapsi. Non malè Erasmus de rat. veræ Theol. f. 84. *Sæpenumero* (inquit) *fit, ut omnia curiosè magis quam piè investiganti quædam rationes occurrant, quæ nonnihil convellunt ac labefactant fundamentum &*

fidei robur. Ipse aliquos novi, qui se fatebantur ex argutiis Scoti, quibus tractat argumentum Eucharistiæ, eo perductos esse, ut prorsus animo vacillarent, vixq; eam hæsitationẽ potuisse excutere. Sic quoque Matthæus Paris. Simonem Thurvajum introducit jactitantem: *Totum se scire Christi Evangelium, & improbando posse illud annihilare.* Nec unicum tantum quendam Diagoram, sed integram aliquando Academiã, Oxonienſem ſcil. Dæmon faſcinavit, ut maximis rixis diſquiſiverit: *Anne etiam Deus esset*; quod referre dubitarem, niſi memoriæ à Monacho (Lang. nimirum in Chron. Citizenſi f. 305.) proditum fuiſſet his verbis: *Agnellus Vir humilis ac beatæ vitæ, cum & ipse studium in Oxonienſi conventu instituisset, & post tempus modicum cum audivisset semel inter se clamosè disputantes, utrum ista sit vera: DEUS EST, Zelo accensus ac multum turbatus ait: Heu me! Simplices & illiterati ad Deum rapiuntur, & isti literati Deum esse ponunt in quæstione, & exin studium revocavit.* Quas ſimilesque Scholarum de divinis dubitationes animadvertens Guil. Poſtellus, haud im-

immeritò Lib. III. de Concord. Orb. c. 1. *Id quidem tolerabilius fuisse* judicat, *si ad publicam tantum rerum administrationem ea opinionum varietas pervasisset, at fundamentum etiam ipsum petit. In utramvis enim partem disceptari de divinis rebus cœptum, de quibus rebus ambigere nefas, ut par occasio cuivis quodvis definiendi facta esse cernatur, si semel quis rationem humanam authoritati divinæ præferat:* Hinc tantus ubique Impiorum proventus. Hinc ea quæ atheismũ in mundum invexit vanitas, cum vir humanitus prudens tot contrarias sententias defendi deprehendens, facilè eo delabatur, ut Religionem merum credat esse figmentum; Hinc etiam cogitationes nefandæ, hinc exspuendæ voces illorum, qui pietatis aram calcibus petunt: Non ego fulmen reformido Jovis, nec Jovem fateor esse præstantiorem me Deum, ait Cyclops ille immanis, & quisquis feritate Cyclopi similis est. Indidem scelerati illorum mores, qui Dei præceptis pertinacissimè renituntur, denique atrocissima supplicia miseris istis, omnique saluti ereptis destinata, & mors nullo fine impietati proposita.

Quantò magis verò irruens ille tam horrendi criminis cataclysmus Orbem pene universum inundare cœpit, tanto majori cura deliberandum, quibus catarractis sit mature cohibendus; Quantò vehementiori etiam impetu hæc pestis nostro cumprimis seculo in miseros mortales grassatur, tanto accuratiori studio disquirendum, quibus potissimum remediis à præsentissimo æternæ mortis periculo, eâ correpti (divinâ opitulante gratia) sint liberandi. Etenim qui de atheismo sine provida hâc solertiq; cura olim verba fecerunt, idem propè quod Medici nonnulli feciſſe videntur, qui quum de morbis sibi agendum proposuissent, universales & publicas quasdam rationes attulerunt, & quam graves eorum cruciatus, quamque iis affectos malè habeat sunt prosecuti; ea verò quæ ad ægrorum salubritatem faciebant remedia, omninò prætermisere: quum nulla pars magis expeti soleat, aut nihil prius medicina polliceatur. Haud enim sufficit, ut quam graves acutosque dolores afferat ægritudo ostendatur, si nulla ratio quomodo vitari possit, aut si

jam

jam æger infestetur, corrigi debeat, indicetur. Proinde atheismi pestiferi seminaria quanto fieri poterit studio sunt excutienda, pariter ac damna eius opportunis remediis prævertenda, aut si remedia ipsa præoccupaverint, imprudentesq; morbus ille invaserit (si modo ægri habetudo patiatur) prorsus levanda. Neq; v. ullũ agnosco studium, quod Res Theologica & tempora nostra magis efflagitant, in multis aliis satis disputatum, hic quædam adhuc supereſſe tum dicenda tum agenda videntur: Nullum insuper arbitror argumentum esse, in quo verè ac sincerè θεοφιλὴς se & seculo hocce dignius operetur, quam quod Atheis in viã revocandis impenditur, quod illos tenebrarum filios luci, lucem illis conciliat, eorumque salutem impensius curat promovetque. Arduum quidem & grave opus est aliquem ad sanam convertere rationem, veramque religionem, omnia autem exsuperat Atheorum conversio; non enim hic ex principiis, sed quod difficillimum ubique & *de iisdem*, de Deo, de Scriptura, de Fide disputatur: Quæ Christiani immota alias & meritò habent, coram

Atheis probanda sunt atque vindicanda. Quid, quod ne disputare sæpè ament athei, sed quoquo modo superare impudentissima pervicacia, saltem cuncta fidei mysteria licet profundissima, ad curiosæ rationis suæ trutinam examinare contendant; Ut proin meritò inter primæ notæ miracula sit numerandum, si quis ipsorũ ad saniorem mentem redierit. Arctioribus enim vinculis eos robustus armatus tenet constrictos, quam ut ea debiliori, quam divina est gratia & potentia, vi perrumpi queant. Et quid hominibus his opponas ullam quorumvis qui ab Orbe vixêre, præclarissimorum virorum authoritatem & exempla, quibus non omnia hæc fabularum loco habita fuerint; quando isti arbitrium sibi sumunt aliter de pectore ipsorum credendi, quam monumenta ingenij, quæ ad nos durarunt loquuntur. Etsi igitur immensæ prorsus difficultatis opus esse videatur Atheorum conversio, de eâ tamen haud prorsus desperandum esse existimo, quin potius ardentissimis precibus ferventique desiderio illum invocandum, qui Spiritum sapientiæ, & illumi-

luminationis se daturum precantibus disertè promisit, ut miseros istos ab impietate sua revocare, & pro summa quà pollet bonitate è Satanæ densissimis tenebris eruere velit, quo debitos DEO honores impendere, ac æternæ salutis aliquando compotes fieri possint. Apprimè hîc observandum, quod laudatum Justinum, ante conversionem suam Vir specie venerandâ commonuit: *Ante omnia Deum deprecare, tibi ut portas lucis aperiat. Neq; enim conspici ista neque intelligi promiscuè ab omnibus possunt, sed ab iis duntaxat, quibus ea facultas à Deo sit concessa.* Quid verò monito hoc observato in se senserit Justinus, idem ipse Tryphoni Judæo in congressione quàdam enarravit: *Confestim*, inquit, *post senis illius verba ignis quidam succensus est in animo meo, & amor prophetarum, eorumque Virorum, qui Christi sunt amici, me incessit: cùmque verba ejus senis mecum ipse tacitus pervolverem, hanc ego solam esse tutam atq; utilem philosophiam, quæ mihi ab illo proposita esset, deprehendi.* PIETATE igitur sincerâ solidaque cumprimis imbutum esse oportet eum,

eum, qui DEI causam non sine fructu & emolumento adversus atheos hostes ejus infensissimos agere conatur, ne scil. de Dei natura doctè solum differat, sed & ejus observet voluntatem, vitam hanc inter preces, meditationes & lectiones sacras consumat, id omni tempore agens quod vellet novissimè, Deum semper ob oculos habeat Καρδιογνώσην, omnia dicta factaque sua ad eius gloriam ut primarium ultimumque finem dirigat. Sit quoquè zelo domûs Dei calens, in tota vita honestus, habens animum forás eminentem & adspirantem ad cœlestia, ita ut sordeant ei terrena & opes, & cætera fortunæ missilia, Amorem Dei accendente recordatione amoris illius, quo ipse nos ab æterno est complexus, nec non summâ infinitaque Dei pulchritudine, quâ sic inardescat magis ac magis, ut quo plus videt, plus deperire cogatur, & cum sciat se infinito plus à Deo redamari, hinc æstus amoris fiat intensior, hinc assiduos pro ejus gloria & cultu suscipiat labores, quos licet maximè graves arduosque, divina adspirante gratiâ feliciter exantlabit. *Ego enim*

(Ma-

(Magnus inquit Chryſoſtomus Lib. II. de compunctione Cordis) *puto quod is, qui in hâc materia vult aliquid dignum proferre, ipſe ante omne debet hoc calore fervere, ſalutari hoc incendio primus igniri, quo poſſint etiam ſermones qui ab eo proferuntur, ignire & accendere animos auditorum.* Sanè qui lucis inſtar ignorantiæ & malitiæ atheiſticæ nebulas diſſipare & errorum peſtiferorum tenebras fugare feliciter velit, eum antè impigrum eſſe oportet ſui ipſius ſuperiorem, totumque *Dei ardere charitate*, quo efficiat, ut & alij dulcibus flammis & ſuavi incendio amoris & cultûs divini inardeſcant. Magnam (juxta mellifluum Doctorem Bernhardum) meretur obſervationem, quod de Salvatoris noſtri præcurſore (Joh. V. ℣. 75.) legatur; *Ille erat lucerna ardens & lucens*; Primum arſiſſe memorat deinde luxiſſe. *Non ait lucens & ardens*, inquit Bernhardus, *ſed quod ante ardebat dein lucebat.* Nam lucere ſolum videtur olere hypocriſin & vanitatem, verum ardere eſt ſolidæ & veræ virtutis nota & indicium. Qui primum ardet, qui flagrat, qui vivis divini amoris flam-

flammis incenditur, ille aptus est ut luceat, ille virtute & spiritu ardentis ac zelosi Eliæ armabitur. Quid multis? Dici profectò nequit, quantum habeant ponderis, vel quæ inculta, modo à *sincerè pio*, sive docendo sive scribendo proveniunt; cum, quæ à minus pio limatius perpolita, ingenioséque expressa, in nihilum plerunque evanescant. In gravissima tamen adversus atheos pugna Pietati proxima sit CURA SERIA maximaque sollicitudo, ne illotis quod ajunt manibus tantum tractetur negotium: Euripides Ευλοβειαν, quæ hæc ipsa cura est, meritò dixit utilissimam esse Dearum, cura est illa quæ scientiæ lumen adhibet negotijs, abstrusa penetrat, revelat operta, illuminat obscura, cuicunque hæc virtus adest, hoc assequitur, ne animus unquam negotio desit, nec votis successus. In priscis fabulis memoratur Jovem aliquando secum deliberasse, quemnam terris immitteret, qui monstra profligaret, alijsque immortalibus factis Orbem universum peragraret; tandem ad hoc opus eum maximè idoneum judicasse, qui non uno momento, ac

ac ne una quidem nocte, sed toto trinoctio esset procreatus; Ipsam quoque Alcmenam talem tantumque partum enitendo, magnitudine dolorum ferè confectam fuisse. Nos potiùs in meliorem beatitatis sortem Servatoris merito genitos, par vocatione nostra versetlabor & cogitatio, quo dignam officio diligentiam præstemus, istamque in profligando monstro illo teterrimo (Atheismo scil.) sequamur rationem; nec ad hoc opus incurioſi aut imparati accedamus, atque majestati Christianæ haud decorum reputemus, circa omnis boni Auctorem ea negligere, quæ profana religione imbuti Pagani, in minimis Deorum suorum sacris scrupulosi, anxiè quæsivissent. Numinis nostri veneration curiosa hæc diligentia inserviat, ut gratos addictosque animos illi testetur, quem profanus atheusque sermo è cunctorum mortalium animis protinus eijcere, ejusque cultum scelerate, impiè, & sacrilegè profligare conatur. E choro virtutum deniqué hic comparebit VERA ANIMI SUBMISSIO atque MODERATIO, illa hominum Generi à

ri à Deo conceſſa Virtus, veluti reliquarum omnium ſpecimen quoddam & illuſtre exemplar, cujus pretioſiſſimo ſale omnes præclaræ actiones condiuntur, Virtus ita depreſſa, ut altior ſit omni faſtigio. Quanta enim ejus in convertendis etiam Atheis vis ſit & efficacia, haud contemnendum Franciſci Saleſij exemplum atque memorabilis hiſtoria teſtatur. Hic cum (referente Henrico Maupas de Tour part. V. Vit. Saleſ. cap. 3.) Lutetiæ aliquando rogatus veniſſet in colloquium cum viro primario illo quidem, at tam depravato, tamque cœco, ut in vita effreni & omni flagitiorum genere contaminatâ ad *Atheorum* impietatem deveniſſet, tametſi horribilem illum ſtatum mentis perditæ deteſtabatur, NON TAMEN A SUA LENITATE diſceſſit. Semel, iterum, tertio, cum eo fruſtra congreſſus, argumentis Theologicis ad philoſophica deſcendit, adituque tandem reperto, inſinuans ſeſe in infelicis animum, ex rebus naturalibus ratiocinans, quantum quidem corruptæ mentis hebetudo ſinebat, eò unde exerraverat reduxit inſanum, pe-

penè abolitam cognitionem ſummi Dei in perdita animâ imprimens poſtliminiò, ita juſſum de miſericordi Deo bene ſperare, eundemque timere vindicem ſic mutavit, ut ejus converſio pro miraculo habita fuerit. Quicquid verò de ea ſit ſtatuendum, abundè conſtat, illos omnes, qui abſque vera, hominique Chriſtiano neceſſaria Animi moderatione Dei & Religionis cauſam ſunt aggreſſi, fruſtra plerunque circa eam occupatos, nec ſcopum præfixum feliciter aſſecutos fuiſſe. De Gregorio Nazianzeno, Magno illo Eccleſiæ priſcæ Doctore Gregor. Presbyter memorat, *Eum plures AD DEUM adduxiſſe, non iracundè feriendo, ſed lenitate ſua ignorantiam & ruſticitatem evellendo, animisq; oratione plenam afferendo ſanitatem.* Ita author Vitæ S. Greg. Nazianzeni. Ad cujus exemplum omnium optimè ſaluberrimum illud converſionis tractabitur negotium, ſi nimirū athei vel de atheiſmo vulgo ſuſpecti initio moneantur, ut præpoſteram iſtam cogitationem excutiant, nec adverſus Deum, ipſam Naturam ac propriam ſuam utilitatem dimicare pergant, quin po-

tius certum eligant & veriſſimum, eos qui Deum verè colunt contemplentur, quam exhilaratum habeant vultum, quam pacato ac quieto ſemper ſint animo, quantum oblectamentum iis vera afferat Religio, quam magna fideles repleat lætitia, quod vero Deo tam excellenti tam bono & in omni genere infinito deſerviant, impii contra horrenda plerunque & tetrica triſtitia afficiantur. Nec minus tamen iis in mentem revocanda innumera pericula atque tormenta, quæ deteſtandam maneant incredulitatem: Igitur deinceps navigium ſuum h. e. ſeipſos ſapientius regant, ac firmiſſimè credant reverà Deum eſſe, qui eos ad reſipiſcentiam ſæpius provocet, hinc illum non ut crudelem & tetricum apprehendant, ſed potius ſummè miſericordem, qui peccata ſua confitentibus benignè parcat, & ſublatis conſcientiæ ſtimulis mentem pacatam iis reſtituat. Animum itaque ad Eum erigant, ſublimius aliquid de divina eius cogitent majeſtate, nec veræ Religionis lumen ſcelera detegere exiſtiment ut cruciet, ſed vulnera aperire ut perſanet; tantummodo pœniteant, quod tam

tam deteſtando errore hactenus fuerint impliciti, nec deinceps ad eum revertantur, ſed DEUM Opt. Max. verè colant ac amore ſincero proſequantur. Quo lenitatis Chriſtianæ Spiritu ſi ducamur, eoque prædiți turpem τῶν ἀθέων ignorantiam & ruſticitatem evellere ſtudeamus, morum verò & animorum exulare jubeamus feritatem, aderit cæptis noſtris ſupremum Numen, nec irreligiosè cœleſtis Veritas tractabitur.

Quantumvis autem ad ſcopum huncce ſaluberrimum, *Atheorum ſcil. converſionem*, plurimi hactenus contenderint, non omnes tamen eâdem via modoque addo & ſucceſſu eodem id egiſſe deprehendimus: Etenim quis eorum facilè probaret conſilium, qui Atheiſmum & Epicureiſmum expeditiſſimè detegi ac profligari poſſe contendunt, ſi Viri pii, docti, honorati, hominibus atheiſmi ſive directi ſive indirecti vulgo ſuſpectis utantur familiariſſimè, eosque in cœlum evehant, quin & cauſam eorum ſimulatè contra veritatis ac pietatis zelotas defendendam ſuſcipiant: Etenim qui hâc viâ incedunt, craſſæ ignoran-

tiæ atque culpabilis in rebus divinis simplicitatis notam haud quaquam effugere poterunt, quin imò occulto aliquo impietatis afflatu ad scelestam hanc societatem ferri videbuntur. Quid, quod bonos quosque á pessimorum illorum hominum consortio absterrere deberent præter ipsius SS. Numinis timorem amoremque, periculum seductionis propriæ, infirmiorumq; scandalum; tot insignes Spiritus Sancti admonitiones in Scriptura consignatæ, v g. Psal. I. 1. *Beatus Vir ille, qui non ambulat in consilio improborum, & viæ peccatorum non insistit; ac in conssessu derisorum* (quales cumprimis athei) *non desidet.* item Jes. LII & II. Cor. VI. 14. 17. *Nolite Jugum ducere cùm infidelibus &c. Exite de medio eorum & separamini dicit Dominus.* conf. 1. Cor. V. 11. Ephes. V. 6. 7. 8. 1 Cor. XV. ℣. 33. 34. 11. Joh. ℣ 10. Alia prorsus & rectiori longè viâ incedunt ii, qui præeunte Gabriele Vasquez, optimum à MAGICIS EFFECTIBUS motivum adversus atheos desumi posse existimant, cuius beneficio ab atheismo moveantur impii; *Præmittendum* (inquit Vasquez Tom 1. disp. xx. c. 4.) *quod à Vi-*

ris

ris magnæ authoritatis accepi, nempe in Gallia & Anglia, ubi nunc atheismus maximè viget, perditissimos homines ab Atheismo facilè revocari, dum magicis artibus in aliis, aut in propriis mirabiles effectus experiuntur, qui omnem humanam & visibilem potentiam superant: quibus coacti credunt, præter ea, quæ sub aspectum cadunt, aliquid spirituale & potentioris virtutis esse, quo admisso, facilius in eam sententiam adducuntur, ut Numen aliquod fateantur; hos enim ideò negant, quod nihil aliud præter ista corpora visibilia esse putant: pejores quidem Sadducæis, qui quanquam Spiritum creatum & animæ immortalitatem negabant, DEUM tamen sacrificiis agnoscebant; quare testantur Viri gravissimi, eo magis in Gallia & Anglia homines ab Atheismo deterreri, quo avidius magicis artibus student &c. huc usque Vasquez, & in eundem verè sensum Philippus Faber Faventinus Disp. I. philos. adversus atheos cap. XI. p. 118. scribere non dubitat, *Deum præter alias causas, ob hanc præcipuè artem Magicam Dæmoniacam permittere, ad confundendum scil. miseros Atheistas, ut sic etiam verificetur illud Apostoli ad Rom. I.*

Philosophos nullam habere excusationem si non credunt, nec ut debent Deum venerantur.

Quamvis verò *præposterum planè* (dicente Illustri Mornæo Lib. de Verit. Relig. Christ. Cap. 1.) *appareat, Diaboli manu ad Deum deduci*, neque Sanctissimum Numen tali egeat præcone; attamen, valdè fortis esse videtur ista *ab Effectibus Magicis* petita ratio, imò una ex validissimis quibus impii convincantur, cum exinde Spiritualis quædam (materialibus opposita) Natura non incommodè concludatur, quæ essentiæ pariter ac efficientiæ ratione à superiore dependeat. Etenim cum quotidianis experimentis notum sit, quanta & quam exitiosa Dæmonum potentia, quâ cient tempestates, morbos immittunt, homines convertunt in Lycanthropos, segetes & arbusta transferunt, spectris homines territant, & perplexis oraculis consulentes ludificantur erroribusque implicant, periisset dudum humanum genus, tot pessimorum hostium injuriis obnoxium, nisi hi Dæmones ab alicuius supremæ potentiæ penderent nutu, quæ rabiem eorum huc usque frœnavit, suæque providentiæ cancellis inclu-

incluſit. Apprimè etiam notandum, quosdam non niſi viſa credentes, conſpectis arte magicâ Dæmonibus, *Deum* etiam credidiſſe, veluti Plutarchus in Tract. de Oracul. defectu commemorat Præſidem quendam Ciliciæ Atheum, DEUM credidiſſe, cum Mopſi oraculum conſuluiſſet, Dæmonque obſignatæ reſpondiſſet quæſtioni. Etſi profanus ille ac ferè atheus Plinius (qualem ſe Lib. II. cap. 7. haud obſcurè prodidit: *Quisquis eſt Deus, ſi modo eſt alius &c.*) artem magicam haud veram ſed inteſtabilem, irritam, inanem eſſe ſtatuerit ex eo, quod Nero Imp. illi operam dederit, & falſam vanamque deprehenderit, imò Fabro Faventino teſte, atheorum aliqui, omnes effectus Magicos mera hominum figmenta dicere non dubitaverint, conſcientia licet protinus reclamante & experientia, quæ comprobat quotidiè, quam miranda Dæmon efficere poſſit opera, tum per Magos, pacto cum iis inito expreſſo vel occulto, quo optata quæque pollicetur, dummodo cultum & honorem exhibeant, modo à ſemetipſo præſcripto atque requiſito, tum per ſe, vel tempeſtates graviſſi-

vissimas excitando, vel spiritum in cavernis terræ existentẽ coñovendo, vel sermones articulatos juxta vel intra statuas formando, vel homines præsentes à conspectu aliorum subtrahendo (quâ ratione Apollonium ex Domitiani conspectu subitò ablatum fuisse verosimile est,) vel statuas aliasque res inanimatas commovendo, vel denique ipsa hominum cadavera aliquandiu inhabitando, & fingendo illos esse resuscitatos, uti factum aliquando Lovanii arte magicà Cornelij. Agrippæ, *Is* (referente Martino Del-rio Lib. II. Disquisit. Magic. quæst. 29. f. m. 357.) *commensalem habebat nimis curiosum, semel profectus aliquo. Agrippa, uxori quam postea repudiavit, claves musei sui tradidit, adidita prohibitione, ne quẽ ingredi sineret. Inconsultus iste adolescens oportunè importunè non destitit mulierculam deprecari, sibi copiam ingrediendi ut faceret, donec impetravit. Museum ingressus incidit in libellum conjurationum, legit; en illi pulsatio ad januam, turbatur; sed pergit legere; pulsat iterum nescio quis, & nihil respondente rude harum rerum juvene, Dæmon ingreditur: quærit cur vocatus? quid fieri jubeat?*

beat? isti metus vocem intercludit, fauces Dæmon. Sic miser luit pœnam nefariæ curiositatis: Redit interea domum Archimagus, videt exsultantes super eam Dæmones, utitur solitis artibus; adsunt vocati, narrant rem ut gesta; ille homicidæ jubet cadaver ingredi, & per forum (ubi cæteri solebant studiosi frequentius convenire) aliquoties obambulare, tandemq; corpus deserere. Ambulavit ille ter quaterve, tum corpus concidit diffugiente eo, qui regebat. Creditum diu, hunc subita correptum morte concessisse, sed indicia suffocationis initio rem suspectam fecere; postea tempus omnia divulgavit, & Agrippa, quas pectore oculuerat hæreses, in Lotaringiam profugus cæpit evomere. Hactenus Delrio, qui pluribus docet, quam variè Dæmones suam exerere soleant potentiam, vel corpora Brutorum, canis, lupi, leonis aut alterius speciei assumendo, eaque ita movendo, ut verè animalia dictarum specierum esse videantur; vel gravissimos in humano corpore morbos concitando, vel conturbando humores, vel spiritus disjungendo, atq; distrahendo partium connexiones, vel in quorundam corpora im-

mittendo acus, clavos, carbones, sulphur, ossa, capillos, vitra, ungues, fila quædam vestium, vel mortuorum insepultorum particulas, & eorum præcipuè qui laqueo vitam finierunt, quæ res plerunque per vomitum rejiciuntur sine illarum partium læsione per quas transire debuerunt. Licet igitur de nefariis Magiæ Dæmoniacæ effectibus neutiquam sit dubitandum; attamen haud consultum videtur, cum Vasquezio ab iisdem *Optimum* seu primum atque præcipuum in conversione Atheorum petere argumentum, præsertim cum Magus præcisis cæteris in DEUM deveniendi mediis, etiam ultimato in Dæmone parædro subsistere, ipseq; sibi obnoxium ita per Magiã captivare possit, ut potius à Deo abducatur, quam à Principe Tenebrarum & Deo hujus Mundi ad verum Numen agnoscendum & colendũ stimuletur, urgeatur.

Neglectà verò hâc Atheos convertendi via atque ratione, aliud ad Dei notitiam iter THOMAS CAMPANELLA aperire, novâque methodo atheos impugnare in *Triumphato Atheismo* est conatus, dum *ad expediendam Nationum conversionem*

nem (verba præfat. adſcribo) *in opuſculo iſto oſtendere ſtatuit, Religionem in communi eſſe non ſecundum artem aſtatorum, aut ignorantium, ſed ſecundum naturam, à Deo nobis inditam, Philoſophis & Nationibus probatam, Prophetis revelatam, & à Deo deinde ſupernaturaliter publicatam, illuſtratamq; gratiis, miraculis veris, Prophetia & Sanctitate &c.* Quo verò ſucceſſu, qua item felicitate id Campanella egerit, ipſa TE, Reiſere præclariſſime, Libri docuit inſpectio; *Lectio autem* (en Tua verba!) *quamvis curſoria ſaltem in eo confirmavit, non adeò erraturum, qui libro huic gloriam Atheiſmi Triumphantis adſcriberet, cum præter id, quod Voetius non ſine cauſa notavit, locum ferè hic habere poſſit, quod paulo ante, Barlæum de Amphitheatro Vanini judicaſſe obſervatum fuit, cum addita Grotii nota de Campanellæ ad Atheiſmum propinquitate itidem jam adducta.* Neque verò Grotio tantum & aliis quibusdam nata eſt hæc ſuſpicio, ipſummet ſcil. Campanellam Atheiſmi veneno infectum, & diabolica perſuaſione obſeſſum, eodem cum Julio Cæſare Vanino uſum fuiſſe conſilio, inque Atheiſmo ſuo Tri-

Triumphato calcem & lateres ad atheismi muros erigendos potius quam subvertendos subministrasse, argumentis orthodoxis minori, atheis verò summa & limatissima cura propositis, sic enim Lectores ingenio sagaciori præditos, facilè agnituros rationum debilitatem quæ pro pietate adducantur, injectumque scrupulum hæsurum tanto firmius & altius, cum aliàs ipse horror, quo pius animus legat pagellas scelus hoc ultro profitentes, impediat rationum vim, ne movere persuadereque valeant. Etsi verò de sensu & intentione Campanellæ temerè judicare, aut eũ Vaniniani criminis reum peragere haud velim, præsertim cum ex libro eius colligere nequiverim, eum volentem & scientem tale quid intendisse; attamen in ipso fortalitii istius ant-atheistici vestibulo, seu cit. præfatione verba notavi, quæ Authorem forsitan plurimis suspectum reddidêre sequentia: *Quapropter transfiguravi me in ipsorum* (atheorum) *personam, sed in puris naturalibus positam, ne firmitatem fidei, quam profitcor putantes esse obstinationem ipsi quoq; in sua opinione obstinentur: --- Idcirco NULLUM*

LUM ab ipsis, VEL ALIUNDE EXCOGITATUM pro ipsorum opinione ARGUMENTUM, QUAMVIS IRRISORIUM OMISI: Talia verò, ut & aliunde excogitata argumenta cum vel protinus omittere salva etiam Pietate potuisset, vel majori sæpè cura zeloque ferventiori debuisset refutare; à vero neutiquam aberrasse videntur ij, qui libro eius parum Atheismo noceri, quin potius nonnihil eum promoveri judicarunt. Quemadmodum & primo atheismi triumphati capite verba reperias, pium & cordatum lectorem non parum offendentia, quamvis ea alio sensu accepta quodammodo possint excusari: *Inveni* (scribit Camp.) *ut plurimũ hominum multitudinem in toto mundo ea credere, quæ sibi à lege sub qua nascuntur proponi solent; aliudq; ultra inquirere nihil; eo quod contraria argumenta non considerant, atq; inter Nationes controversias; nec vident quod Philosophorum sectæ omnes fulcire profitentur opiniones quæq; suam rationibus & experimentis, & altera contra alteram obstinatur, ita quod singulæ sibi videntur veritatem pro se habere. Nec vident* QUOD

LEX

LEX OMNIS jactanter prædicat se habere ad comprobationem dogmatum suorum MIRACULA, ARGUMENTA, PROPHETIAS, MARTYRIUM, CONCORDANTIAS VERITATIS; & quod sunt tot accusantes quot accusatæ, &c. Quæ & sequentia verba cum athei quodammodo in suum sensum torquere possint, magis forsitan ista invaluit cogitatio, scil. Campanellam haud ingenuè sed per insidias Dei & Pietatis causam egisse, deque atheismo non seriò triumphare constituisse. Quod verò ad ipsam Religionis demonstrationem ab eo factam attinet, parum rectè egisse, imò graviter peccasse videtur, quod Religioni (cap. II. fol. 4.) hoc fere præcipuum fundamentum substernere non dubitavit: *Esse tres Primalitates seu præeminentias, POTENTIAM, SAPIENTIAM & AMOREM, per illa autem Tria ENS PRIMUM ESSENTIARI, secunda verò Entia horum participio, ac in tantum esse, existere & vivere in suo quoq; gradu, in quantum perseverant in eis Potestatis, sapientiæ & Amoris radii ac participationes, cuique pro rata sua.*

Cum

Cum autem non amplius Poteſtas aut Sapientia aut Amor conſervans, adſunt à conſervante Deo, amittere illud. Nullum enim abſq; tribus his primalitatibus ſervari poteſt. Idq; operatio docet omnium, ad quam omnium eſſe habet analogiam. Quodſi verò acutus ille Thomæ Aquinatis diſcipulus Præceptoris ſui monitum probè obſervaſſet, quo (part. 1. q. 32. art. 1. & q. 46 art. 2.) eos, qui ad probandam fidem Chriſtianam rationes haud cogentes inducunt, in irriſionem Infidelium cedere judicavit; ſalebroſam hanc viam nunquam ingreſſus fuiſſet, neque infirmum hoc fundamentum toti Religionis ſuppoſuiſſet demonſtrationi: Præterquam enim quod iſta methodus Pelagiana labe vitiata appareat, dum viribus rationis principia inædificat ſupernaturalia; ipſa ſua novitate ſuſpecta ac in veritate rei prorſus infirma deprehenditur. Anne enim ipſæ Tres Primalitates apud atheum ſunt extra controverſiam, ex quibus Campanella diſputat? Anne Deus eſſentiatum, hæc tria autem eſſentiantia? ut cum illo barbarè loquamur: An denique rectè dicitur ENS PRIMUM PER ILLA TRIA

TRIA ESSENTIARI? Non puto. Quid quod ipse Campanella fundamenti huius infirmitatem deprehendisse videatur, dum Tertio operis sui capite de alio eoque longe solidiori cogitavit, ostendere allaborans: Tutissimam viam perveniendi ad Primam Rationem Divinam, eiusque mirabilem providentiam, honore dignissimam, esse RELIGIONEM, communissimam cunctis Nationibus, ideoque NATURALEM: quoniam de Jure Naturæ, & secundum Naturam &c. Cuius rectius ostendendæ gratia argumentum palmarium petit ab *Inductione* & primò quidem ex politica, h. m. *Dixi in secreto animæ meæ, si Venetiæ reguntur ratione sapientia & arte, Roma etiam ratione, Hispania ratione, omnesq; ac singuli homines consilio & arte vivunt, quamvis à ratione vera deflectant aliqui, nihilominus rationi credunt se inniti, vel particulari.* Secundò ex impresso sensu, & ratione reducente (quo argumento etiàm Greg. Nyss. in exam. & Lactant. & Clem. Rom. utuntur,) in naturalibus, cum non modo homines, sed etiam omnia, ratione vel impressa tantum, vel impres-

impressa expressáq; seu elicita stent & ivant ; lapides quasi sentientes nutrimentũ attrahant, crescant roborentur &c. Tertio ex Inductione *à Plantis*, quæ etiam ratione vel alicunde operante vivant, cum ad se proficuum nutrimentum attrahant, noxium renuant, vestiant se corticibus, roborent ossibus, --- & operentur omnia ratione quadam mirabili & arte ducta, non casu temereque, & ut meliores physici dicant, intelligentia non errante. Quartò ab Animalibus ; Si mox (inquit) animalia contemplaris, præter constructionem eorum admirandam prælia artificiosè exercent, alia vivunt in Republica populari, ut formicæ: alia in Monarchia ut apes: alia in Aristocratia ut Grues excubias habent, agmina, Magistros militum, & ordines & operum vices ; & filios contra mortalitatem generant, & educant industriosè in nidis mirificè fabrefactis. Ergò vel sub Sapientia Duce. Igitur concludit tandem Campanella necessariò asserendum esse, Primam existere Sapientiam ac Rationem, unde omnis entium cognitio, omnesque artes derivantur. Huic autem

palmario ſuo ex inductione petito argumento ſubjungit alia haud ſanè contemnenda, utpote argum. ex partibus ad totum; ex contradictione negantium primam ſapientiam, ratione, qua ſimul affirmare cogantur; à conſtructione ſyſtematis Mundi, eiusque admiranda fabricâ; ex artificioſa generatione, & cauſarum non rationalium rationali cauſatione, opificem ſapientiſſimum probante; ex diſtinctione elementorum; ex fuga vacui: denique ex conſtructione animalium & ex uſu partium. Quæ licet omnia ad Religionis demonſtrationem idonea videantur, præter ea tamen fortiora etiam arma ſunt adhibenda in oppugnatione eorum, qui molimine temerario omnia intra NATURÆ terminos compingere, Cauſasque duntaxat ſecundas, PRIMA illa neglecta obſervare attendereque non verentur; qui item res cunctas *ſuopte genio* hos & illos curſus peragere, hanc aut illam ſuæ durationis periodum *ex ſe ipſis* obtinere, omnia ad æternam cauſarum connexionem referenda eſſe exiſtimant; qui denique rebus naturalibus ita incumbunt, ut omnes

earum

earum motus, opera, proprietates & affectiones causis naturalibus tribuere non dubitant, adeò ut nihil ipsis supra Naturam esse videatur, veluti scelestus ille atheismi apostolus J. Cæsar Vaninus libro de *Admirandis Naturæ Reginæ DEÆq; mortalium arcanis* id egit unicè, tristi tandem impietatis suæ affectus supplicio. Ad hæc inquam, hujusque farinæ alia monstra debellanda arma fortiora sunt arripienda usurpandaque, neque cum Campanella tantum in effectis Naturalibus subsistendum, sed tales cumprimis nominandi, quorum causæ in Natura nullæ possunt indicari.

Antequam verò in eosdem inquiramus accuratius, alium quendam accedamus Atheomastigem, percepturi, qualem ille ad convincendos convertendosque atheos methodum judicet convenientissimam? Is verò MARIUS MERSENNUS est, Ord. Minim. Franc. de Paula; qui in Celeberrimo suo (uti inscriptio sonat) ad primum Geneseως caput commentario zelo ferventiori, studioque accuratiori Religionis causam egisse, atheosque impugnasse videtur, licet ei primum (ex propria fol. 26.

confessione) idem contigerit , quod in multarum viarum capite constituto , qui nescit quam semitam eligat ; *Etenim prorsus* (inquit) *ignoro , à quâ ratione exordium sumere debeam, ut* DEUM ESSE *quibuslibet atheis manifestissimè comprobem, verumtamen cum omnes creaturæ Deum esse prædicent , age primum argumentum nobis ipsæ suggerant.* Atque ut unico quasi intuitu appareat , quibus armis atheos Mersennus porrò impugnaverit , hunc allatarum ab eo rationum adscripsi Indicem : Prima sumitur ex eo quod omnes creaturæ hanc divini Nominis existentiam suo quæque modo affirment ; Secunda , quod omnes illam cogitationem habeant, & consideratis omnium philosophorum disciplinis deprehendatur, eos, etsi sermonibus variis, ipsis tamen rebus in hanc unam coire & conspirare sententiam, proinde laude dignissima sit Tertulliani sententia, qui ex ipsa anima Dei cognitionem nobis velut ingenitam esse demonstravit. Rationem Tertiam desumsit ex eo, quod necesse sit aliquid esse à semetipso. Quartam ex veritate , quæ nec principium nec finem habere

bere possit, sed necessariò sit ab æterno & à se ipsâ. Quintam ab optima entitate & bonitate, quæ sine dubio sit optima, neque tantum in mente concipientis vel intelligentis resideat, verum etiam in ipsa re, licet nullus id optimum concipiat. Cum verò pleriqueathei Metaphysicam ignorent, illasque rationes minus concipere possint, ideò ad motum ipsis oculis & tactui subditum descendens, Rationem sextam ex trito petiit axiomate: Quicquid habet virtutem movendi habet abalio: Septimò omnes gradus entium, ut alteram Jacobi scalam obtulit, quâ ad Rerum omnium adscendant Conditorem. Rationem octavam depromsit ex eo quod Deus sit Lumen cætera manifestans, sitque per se notum Deum esse; existimans omnes atheos haud ita cœcos fore, aut pertinaciæ carceribus mancipatos, ut nulla luce perfundi valeant. Nonò testes vocat omnes Creaturas, quæ ex nihilo se productas esse fateantur. Decimò earundem advocat pulchritudinem, ut Deum Opt. Max. Atheis pervicacissimis annuntient. Undecimò ad legem Naturalem immutabilem facit accessum,

indeque Deum probare conatur, cum in nobis Legem naturalem experiamur, quæ sit immutabilis, eaque nobis non imprimi potuerit, nisi ab aliquo immutabili, quod sit Deus; ubi etiam de appetitus nostri infinita agit capacitate, nec non de dissonantiis in concordiam redactis disseruit. Verum cum hæ rationes ante Mersennum etiam sint allatæ ab aliis, hinc in seqq. novam is viam ad Deum per totius ferè Encyclopædiæ campum præmonstravit, armaque adversus Atheos arripuit. Duodecimo ex Scientiis in genere. 13. Ex Arithmetica. 14. Ex Geometria. 15. Ex Musica. 16. Ex Astrologia. 17. Ex Mechanicis. 18. Ex quibuslibet scientiis & artibus. 19. Iterum ex scientiis præsertim inferioribus. 20. Ex ipsis divinationum speciebus. 21. Ex sex rebus, quæ ex se indeterminatæ sunt. 22. Ex rebus moralibus, 23. Ex omnibus artefactis, & ex astris de quibus pulchra referuntur. 24. Ex omnium entium collectione. 25. Ex Geographia & hydrographia. 26. Ex diversitate vultuum, vocis, scripturæ, statuum, & incessuũ. 27. Ex fine ad quem omnia tendunt per suas operationes. 28. Ex eo quod

debeat

debeat esse objectū, dignum amore voluntatis nostræ. 29. Ex variis absurdis & incommodis. 30. Deum esse probavit ex Optica. 31. Ex Gnomonica. 32. Ex Architectura & Nautica. Hactenus Mersenni diffusissima Κατασκευὴ; quam excipit, prolixa & accurata ἀνασκευὴ, in solutione & insectatione ratiuncularum atheisticarum occupata, quâ causis & argumentis ex Orco erumpentibus, quibus dæmon plurimos allicit, & tandem secum ad æterna pertrahit supplicia, plurima reposuit alexipharmaca, ac impiorum argumentis, quibus magis horrenda totus infernus vomere vix potest, abunde satisfecit. Quamvis verò hæc a Mersenno præmonstrata via sive methodus satis operosa, & difficilis appareat; attamen cum totam ferè Atheos impugnandi rationem ambitu suo complectatur, haud sane contemnenda negligendaque videbitur, præsertim cum egregia lux non semel ex variis etiam *Scientiis*, lucifugis istis & tenebrarum filiis oriri sit visa, quæ volentes nolentes eò perduxerit, ut Dei tandem fassi fuerint existentiam. Ac licet Scientiæ & disciplinæ non omnes auferant de

Deo & Religione dubitationes, ita ut de iis Seneca de vitæ Brev. c. 14. quæsiverit: *Cuius errores minuunt? cuius cupiditates prement? quem fortiorem, quem liberaliorē facient?* permagna tamen in convincendis & convertendis atheis earū esse videtur utilitas, cum Rei Theologicæ inserviant egregiè, eamque adversus cunctas depravatæ Rationis suggestiones tutentur incolumem. Et cum Athei sæpissimè philosophicis potius quam Sacris & divinis nitantur decretis, ingeniosa aliquâ disputatione sunt constringendi, & tanquam alteri Goliathi proprio gladio jugulandi. Præclarè Clemens Alexandr. I. Stromat. *Etsi ipsa sibi* (inquit) *sufficit, nec opis alienæ eget doctrina Salvatoris, cum sit potentia & Sapientia ipsius Dei; tamen Græcanica philosophia si accessit non quidem validiorem facit veritatem, sed sophisticos* (atheisticos) *insultus ab eâ amolitur, & insidias omnes avertens, sepes & lorica est Dominicæ vineæ.* Nec obstat quod Scientiæ permagna laborare videantur incertitudine; Navigatio est incerta, an ea propter non est navigandum? Bellum dubium est, an ea de causa non

non geredum? an igitur artium & disciplinarum humaniorum (si quæ reperiatur) incertitudo hominem Dei & Religionis amantem ab earum usu & complexu dehortabitur? Harum equidem disquisitione, omnes Ingenii vires quæ aliter hebescerent, excitantur, exercentur confirmantur, & ad quodcunque negotium pertractandum quasi dilatantur. Vesica si non extendatur, inutilis prorsus; sin vel vento impleatur, eò commodior erit usui: pariter & animi facultatibus si non exercendo quasi aciem inducas, flaccescunt prorsus; quæ vel humaniori aliquâ doctrina, vel insigni quâdam scientiâ excultæ, magnis aggrediendis essent pares. Ut proin jure Socrates artes istas liberales commendaverit προσλὴν γυμνασίαν τῆς νῦς, quasi mens his ad majora subeunda corroboraretur. Et scitè Basilius in Orat. ad adolescentes: *Sicut tinctores* (inquit) *ut perfectum purpuræ colorem panno inducant, inferiorem alium colorem subtexere solent; ita se habere humanas scientias ad divinam Sapientiam.* Quodsi verò ad totius Encyclopædiæ disciplinas oculos

animi convertamus, magis apparebit, quamlibet artem & scientiam ad rem Theologicam enucleandam, SS. Numinis gloriam vindicandam, ipsosque Atheos convertendos suum conferre symbolum. Etenim nonnisi Dialecticæ auxilio adversus atheos singula aut commodè digeruntur, aut membratim retexendo, quasi oculis subijciuntur. Dici vix potest, quantum inventionis capitibus, ut totidem argumentorum domiciliis, quantum varijs syllogismorum generibus, (quibus empæctis istis impudentissimis os obturamus) sit tribuendum; *Arti scil. illi* (verba sunt D. Danhavveri Ill. & Ob. cap. II. Art. V. fol. 196.) *quam ut flagellum & crucem Regno suo exitiosam, limis semper aspectavit tenebrarum Princeps; --- Arti inquam Dialectic-, non illi tristi, fuliginosæ, abstractivæ, Criticæ, Ramisticæ, quæ Metaphysicam cum Logicâ in unum chaos coxit, utramq; decoxit, sed usuali vereq; analyticæ, à Cornelio Martini in aureo de analysi logica libello repertæ & vindicatæ.* Dialectica certè sacro militi modum præscribit instituendarum contradictionum, consequentiarum

rum ἀναλύσεων, juvat disputatorem quod Geometria eum qui brontea tractat, quod athletica gladiatorem; *Verè enim* (ita Hieron. in Comm. ad Ezech. 25.) *quicquid in seculo dogmatum perversorum est, quicquid ad terrenam scientiam pertinet, & putatur esse robustum: hoc Dialectica arte subvertitur, ut instar incendij in cineres favillas q; dissolvatur, ut probetur nihili, quod putabatur esse fortissimum.* Sic Rhetoricâ opitulante, varias loquendi formas assequimur, affectus concitamus, vel sedamus, honestoque dolo nos in audirorum, etiam τῶν ἀθέων animos insinuamus. Porrò ad Scientiarum Reginam, sapientiæ nomine dignissimam, Metaphysicam, nemo oculos convertere potest, quin cuncta transcendat, rerumque omnium admittat, principium, Bonorum omnium fontem, causarum supremam causam, præcipuum Metaphysicæ objectum. Et dum hæc scientia Ens simpliciter & absolute necessarium in toto hoc universo esse demonstrat, de cujus nimirum essentia & intrinsecâ ratione sit ipsa existentia, manifestum & illustre divinitatis suppeditat testimonium

nium: Sic cum a primâ philoſophia ad Naturalem animum converto, duplicèm ad Dei cognitionem viam invenio, aliam quam vulgus inſiſtit, aliam doctiores & philoſophi. Et vulgus quidem circumferens oculos per totum Orbem, miratur pulcherrimum Naturæ curſum, ſtatas anni tempeſtates, Solis pulchritudinem atque potentiam, æſtus Maris reciprocos, terræque molem aêre ſuſpenſam, nutibus ſuis conglobatam, paribusque examinatam ponderibus,

Defectus Solis varios Lunæque labores:
Unde tremor terris quâ vi maria alta tumeſcant,
Obicibus ruptis, rurſumque in ſe ipſa reſidant.
Quid tantum Oceano properent ſe tingere Soles
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet? Georg. 2.

Miratur perpetuos fluminum lapſus, plantarum incrementa atque virtutes, animalium diverſas formas, & ὁρμὰς ac inſtinctus ſpontaneos; denique tantam hujus ma-

machinæ perfectionem, ut ſingulæ partes officiant contemplationi totius: non ſecus ac cum in ſylva non cædua ſingularum arborum proceritas eminere poſſet, niſi inter pares conſpiceretur. Itaque vix quiſquam eſt niſi planè vecors, qui his aſpectis non agnoſcat authorem & non æſtimet apud ſe ex opificij præſtantia IPSUM OPIFICEM. Alteram viam Doctiores Rerum naturalium contemplatores inſiſtunt, dùm ipſo Philoſopho præeunte, vincula texunt demonſtrationum, quibus ingeniâ tantopere conſtringere valent, ut ab eis quod velint extorqueant. Sic cum Ariſtoteles Octo libros phyſicæ ἀκροάσεως conſcripſiſſet, quorum ſex poſtremi toti circa motum ejusque affectiones verſantur; Ultimum PRIMO MOTORI conſecravit, qui idem ſit immobilis: unde haud incommodè in Scholis philoſophicis illuſtre illud ac nervosũ A MOTU deſumitur argumentum: Cùm enim omne quòd movetur ab aliquo moveatur, & hoc ab alio, & ſic porrò, in hâc moventium catena iri haud poteſt in infinitum, ſed neceſſario in aliquo primo movente eſt conſiſtendum, qui

qui cum omnia moveat, ipſe ſit immobilis : Non ſecus ac in corpore humano artus moventur à muſculis, muſculi à nervis, nervi à ſpiritibus animalibus, ſpiritus animales à vitalibus, vitales ab anima, quæ non movetur niſi per accidens, aut per aliud, id eſt alieno motu; Aut ergò neceſſe eſt ponere aliquod primum movens, quod omnes Deum vocant, aut ſi primum motum negare velimus, omnem etiam cauſarum ſecundarum effectum negare, & ſic cum Zenone motum è rerum natura tollere deberemus. Præclarè Lipſius Cent. II. Epiſtol. 26. Age, (ſcribit) Motum primo hunc rerum vides? Cælum volvi & revolvi? aſtra habere diverſos vel adverſos inter ſe curſus? Atque eos omnes certos, & ad legem, dic mihi à quo præſcriptam? Sibi certè nemo normam hanc aſſiduæ ſervituris indicet. Alius igitur? quis? adſcende, & gradibus pervenies ad immotum illum, & omnia moventem. Ut in horologio cum gnomonem ſerpere ſenſim vides, non illic ſiſtis, ſed ad rotas rotulasque abis, & miraris, & denique manum & ingenium authoris

thoris primi: idem hic fac & Deum reperisti. Sed me jam ad se rapit Ipsa Numerorum ratio, quæ Mundi aliquod principium ac proinde à Deo creatum esse evincit: cum enim numerus incipiat ab unitate, dies verò numerentur, oportet primam aliquam diem fuisse, ac proinde primam aliquam Cœli conversionem contigisse. Nunquid miraculo similimum esse videtur, ut punctum omnis quantitatis sit principium & finis, ipsum tamen quantum neque sit, nec esse possit, an non obsecro vera illud est divinitatis imago? quæ cum minimè corporea vel finita sit, omnia tamen corporea producit & determinat. Nec minus Geometriæ beneficio, Atheis, qui Arcæ fabricam ut tam numerosæ prolis haud capacem calumniantur, cum insigni Mathematico Buteone os obturare possumus. Quid multis? Rimentur Viri doctissimi summo labore & studio Arithmeticam, Opticam, Astronomiam, Astrologiam, Perspectivam, Mechanicas omnes, & alia cæterarum artium arcana reconditissima, & infinita propemodum argumenta invenient, quibus ad asserendam Divini Numinis exi-

sten-

ſtentiam adducantur Athei, quæ ſuo recenſere ordine, utinam temporis anguſtiæ & diſquiſitionum Epiſtolicarum leges atque limites non impedirent!

Quandoquidem vero præmonſtrata hæc per totius Encyclopediæ campum via, Atheosque convincendi ratio nimis ardua, prolixa atque operoſa videri poſſit, hinc eam cumprimis eligendam, cæterisque omnibus anteponendam eſſe exiſtimo, quam ipſe Sanctus Spiritus in Sacro oſtendit Codice, ipſeque uſurpavit, in qua nimirum utramque paginam facit AB EFFECTO AD CAUSAM, ſeu ab operibus ad Opificem probatio, quam neſcio quo præeunte Dionyſio VIAM CAUSALITATIS nuncupare conſueverunt. Etenim ſi loca Rom. I. 19. 20. Act. XIV. 15. 17. XVII. 27. 28. Pſalm. XIX. 1. 2. 3. Job. XXXVIII. & XXXIX. Jeſ. XL. 21. 22. 26. Jerem. X. 10. 11. accuratè expendamus, Sanctos Dei homines hâc ipſâ methodo uſos fuiſſe deprehendimus. Imprimis Paulus l. d. pulcherrima ſerie oſtendit quibus gradibus homo intelligentiæ lucem ſecutus, ad æternam

æternam usque Dei potentiam ac divinitatem conscendat: Primò etenim (inquit) homo res conditas contemplans, huc perducitur ut aliquem esse fateatur à quo hæc omnia sint condita, & cujus virtute administrentur. Inde verò ad æternam ejus potentiam ac divinitatem provehatur necesse est. Siquidem eum qui omnia condiderit, rebus omnibus conditis antiquiorem ac proinde æternum esse oportet: & incredibilis ista vis quæ tantæ regenda moli sufficiat, excellentior sit necesse est quavis alia etiam præstantissima virtute. Id ipsum est quod Deum vocamus. Atque hæc Magni Gentium Doctoris vestigia subsequentibus seculis sancti Patres & Theologi præcipui sunt insecuti. Ex illis Tertullianus lib. 1. con. Marc. cap. 10. *Habet* (inquit) *Deus testimonia totum hoc quod sumus, & in quo sumus.* Nec minus Justinus sive quis alius author Quæst. Græcar. interroganti, unde notum sit esse Deum aliquem? respondet, *ex rerum quæ extant constitutione & perseveranti diuturnitate id intelligi. Non enim extarent ea quæ extant, nisi ante ea Deus extitisset, qui*

partes creaturæ omnes utiliter ex usu & commodo universæ creaturæ ordinavit. Et Philo Judæus in primo de Monarchia p. 629. scribit: Qui in hanc revera magnam introiverit civitatem, Mundum videlicet, ibique contemplatus fuerit montanam campestremq; regionem animantibus refertam, ac stirpibus & frugibus ingenuis ac torrentibus; pabula item, & reciprocationes marjum, aëris temperiem; annuarum tempestatum conversiones, deinde Solem & Lunam diei noctisque moderatores, ac cæterorum errantium fixorumque siderum, & Cæli totius in orbem agitationes & choreas, nonne verisimiliter aut potius necessario de Patre & conditore, nec non Rectore cogitabit? Quid potest esse tam apertum (inquit Minutius Felix in Octavio) cum oculos in cœlum sustuleris, & quæ sunt infra circave lustraveris, quam esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, quo omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, gubernetur? Cælum ipsum vide quam latè tenditur, quam rapidè volvitur, vel quod in noctem astris distinguitur, vel quod in diem Sole illustratur, jam scies quam

quam sit in eo Summi moderatoris mira & divina librario. Enimverò ut si quis Bibliothecã libraria supellectile instructissimam contempletur, in quâ structi foruli, libri in ordinem digesti, omnia tersa & munda, & aptè disposita, non est credibile quendam esse posse tam excordem, ut censeat hæc casu ita esse facta, & non potius hæc tribuat humanæ industriæ; At nulla est Bibliotheca tam aptè digesta, nec tam ornata aut locuples, ut possit ullatenus cum huius machinæ structura & perfectione comparari. Ver æque cum suis floribus, & æstas cum suis messibus, & autumni maturitas grata authorem suum parentemque testatur. Quibus mirum in modum illa consonant, quæ D. Augustinus habet lib. x. Confess. cap. 6. ubi creaturas omnes inducit suum Creatorem agnoscentes: Cælum enim, & terra & omnia quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut non solum Te esse fatear, Deus meus, verum ut Te amem, nec cessant dicere omnibus, ut sint in excusabiles, surdisque loquuntur laudes tuas. Atque hoc genus argumenti præclarè etiam inter Patres eleganterque tractavit

Athanasius in libro adversus Gentiles, in quo prolixè ostendit, Deum naturâ bonum, & hominum amantem, noluisse humanum genus suæ cognitionis expers relinquere, sed ex operibus se suis permisisse cognosci. Ecquis verò est (inquit) qui cœlestẽ Orbem intuens, ac Solis Lunæque cursus, & reliquorum situs conversionesque siderum, quæ tametsi inter se differunt, eundem tamen ordinem sine ulla varietate retinent, non statim intelligit, non à se ipsis illa regi, sed esse alterum qui hæc moderetur, & contineat auctorem eorum & opificem. Quis orientem per diem Solem aspiciens, & splendentem nocte lunam; eandemque paribus semper interjectam spatiis incrementa ac decrementa capientem, tum ste larum alias discurrentes, miraque varietate cursus suos peragentes, alias citra evagationem constanti agitatione conversas, non aliquem esse sentiat, qui iis præsit, à quo sunt condita? Addit inferiorem Mundi partium contemplationem Athanasius, quantam enim obsecro lapidum, mineralium & metallorum, quæ intra Terræ viscera & gremiũ continetur diver-

versitatem vel solus MUNDUS SUBTERRANEUS (Kircherianis nuper Commentariis illustratus,) exhibet; quantam Supremi Conditoris majestatem & divitias summa rerum exponit varietate; Tantas profecto ut nemo hominum aut generum istorum species, aut singularia animo possit concipere; quilibet verò intelligere, copiam & varietatem tantam non nisi ab inexhaustâ & fœcundissima potentiâ ortam esse, & in hunc usque diem conservari, eaque propter cum sapientissimo Nehemia cap. IX. 6. in hæc verba erumpere debeat: *Tu ille Iehova solus es; Tu fecisti cœlos cœlorum; & omnem exercitum eorum: terram & quicquid est in ea; maria & quicquid est in iis, & Tu conservas hæc omnia; etiam exercitus cœlorum &c.* Quod nisi esset (idem subinde dicere pergit Athanasius,) non jam Κόσμος, i. e. mundus, sed ἀκοσμία, confusio; non ordo, sed perturbatio; non compositio & coagmentatio, sed incondita moles; non modus ac mensura, sed immoderatio cerneretur. Ad hunc ferè modum etiam Gregorius Nazianzenus Oratione quarta & tricesima scribit,

Dei existentiam tum oculos ipsos, tum legem naturalem docere; illos nimirum, dum in res aspectabiles intendunt, easque & pulchrè fixas, & stabiles esse & progredi, atque immotè, ut ita dicam, moveri, volvique perspiciant; Hanc autem, dum per res oculis subjectas, ac recto ordine collocatas, authorem earum conjectura quádam colligat & assequatur. Quæ verò ab Athanasio & Gregorio hanc in rem sunt prodita, fusius explicat Johannes Damascenus in primo de fide orthodoxa; similiaque apud Augustinum in octavo de Civit. Dei, nec non undecimo cap. 4. leguntur. Gregorius item Nyssenus in præfat. Orat. Cat. eum qui divinitatem neget, ex iis convincendũ instituendumq; docet, *quæ artificiosè ac sapienter administrantur in Mundo, ut inde vim esse aliquam agnoscat in illis apparentem, omniumq; supremam*. Concludo verbis cedro dignis B. Chrysostomi in Psal. XIV. *Dixit*, (inquit,) *insipiens, non est Deus*. Non est fundamentum, & quomodo stat ædificium? non est ædificator, & quomodo domus facta est? non est architectus, & quis urbem condidit? non est Musicus, & quo-

quomodo in Mundi lyra apparet concentus? non est auriga, & quomodo quatuor elementorum currus agitur? non est statuarius, & quomodo homines veluti quædam statuæ in Mundo facti sunt? non est aurifex, & quis velut discum aureum in mensa, Solem in Cœlo posuit? non est qui ferat lampadem, & quis Tibi velut lampadem argenteam dedit Lunam in nocte? non est qui faciat solus magna lumina, & quis accensos astrorũ lychnos Tibi in Cœlo posuit? si non est Deus, quid facis in iis, quæ DEI sunt? In Domo Dei manes, & domum Dei inficiaris. Quid, quod iisdem creatarum rerum vestigiis, Gentiles etiam Philosophi ad Dei notitiam (licet mancam duntaxat, confusam & ad salutem haud sufficienter erudientem) pervenerint. De Platone equidem id innuit Proclus 2. in Tim. p 80. cum ex illius sententia, ad unam summamque causam omnia revocanda esse existimat; Dio quoque Prusæus cognomento Chrysostomus in Orat. XII fieri posse negat, ut homines intellectu summæ divinitatis careant, qui divinis magnisque luminibus Cœli atque siderum

derum undique colluſtrentur, Solis item ac Lunæ: haberentque uſum noctis & diei variarum & diſſimilium formarum &c. ubi & rectè illos ait à Deo procul non abeſſe, ſed eius veluti medio collocatos ab eo divelli non poſſe. Quod ex Arato poeta apud Athenienſes Paulus expreſſit. Nec minus eleganter Epictetus apud Arrianum oſtendit, ut ex operibus arte elaboratis artificem agnoſcimus, ſic ex naturalibus Dei operibus ipſum à nobis intelligi auctorem omnium & conditorem. Simplicius ſimiliter in Commetar. ad Enchir. Epict. ex particularium bonorum multitudine ad unum aliquod & ſingulare principium velut Cœterorum fontem & originem adſcendit. Eâdemque illa viâ Sextus Empiricus in octavo commentarior. adverſus Mathemat. ad Dei notitiam humanum genus perveniſſe ex Ariſtotele probavit: *Cum enim* (ait) *contemplati eſſent Solem interdiu circumeuntem; noctu verò ordinarium aliorum ſiderum motum, arbitrati ſunt eſſe Deum aliquem, motus illius & ordinis principium.* Addo quod in ordine cauſarum efficientium non poſſe procedi in infinitum probè perſpe-

ſpexerint. Ex
atque ſumm
dia &c. ſicqu
unquam po
dum, anteq
finitæ cauſæ
tum eſt, qu
ut non datu
oportet ſit a
ctio, nimir
Thomas:
in cauſis eſſ
tum, quia i
ordinatis p
um eſt cau
ſive unum
removetu
primum i
timum ne
infinitum
prima cau
fectus ultim
diæ, quod p
ceſſe ponen
primam qua
Hactenus T

ſpexerint. Etenim ſi nulla eſſet cauſa prima atque ſumma, nulla eſſet ſecunda, nec tertia &c. ſicque nulla prorſus eſſet cauſa, & nunquam poſſet deveniri ad ultimum effectum, antequam enim eò perveniretur, infinitæ cauſæ eſſent percurrendæ. At infinitum eſt, quod pertranſiri nequit, & cuius ut non datur primum ita nec ultimum, ſed oportet ſit aliqua prima & ſumma perfectio, nimirum Deus. Ad hunc ferè modum Thomas: Non eſt poſſibile (inquit) quod in cauſis efficientibus procedatur in infinitum, quia in omnibus cauſis efficientibus ordinatis primum eſt cauſa medii, & medium eſt cauſa ultimi, ſive media ſunt plura ſive unum tantum. Remota autem cauſa removetur effectus: Ergò ſi non fuerit primum in cauſis efficientibus, non erit ultimum nec medium; Sed ſi procedatur in infinitum in cauſis efficientibus, non erit prima cauſa efficiens, & ſic non erit nec effectus ultimus, nec cauſæ efficientes mediæ, quod patet eſſe falſum: Ergò eſt neceſſe ponere aliquam cauſam efficientem primam quam omnes Deum nominant. Hactenus Thomas. Quæ verò adverſus

hanc efficaciſſimam probandi Atheosque convincendi methodum argumenta, vel hominum confinxit impietas, vel ſcepticorum quorundam curioſa levitas, ea à variis Theologis pariterac Philoſophis Chriſtianis accurate, nervosè & ſolidè diſcuſſa ſunt atque refutata. Silentio verò neutiquam prætereundum, hâc ipsâ methodo, atque egregio adverſus atheos argumento, ex Univerſitatis aſpectu, eiuſque partium deſcriptione, rataque & conſtanti adminiſtratione deſumpto, etiam Ieſuitas in convincendis & convertendis Sinenſibus (plerisq; atheis) haud infeliciter uſos fuiſſe: Sicuti apparet ex opuſculo quodam Sinico, præcipuos de Deo uno & vero articulos continente, & nuper ab Athanaſio Kirchero in China Illuſtr. fol. 121. cum verſione latinâ publici juris facto. Inter alia notatu digniſſima, idiomate Sinico Latino verba occurrunt ſequentia.

I. Tien, ti, gin Uu cien uû, ulh heú yeù: ce tien ti gin, uu chí cien, pi yeù ye cò chu cai y ſem chi,

Hoc eſt: *Cælum, Terra, homines omnes q; res antea nihil erant, & poſtea fuere: ergo ante*

ante Cælum, Terram, homines resq; omnes antea necessario fuit aliquis Dominus ut crearet illa.

II. Kai uan uu pú nem cú chim kiai yeu, so y chim chi che ju leu iai, fam uu pu nem cukî, pi chim iu cum ciam chi Xeù;

H. e. *Quia omnes res non possunt ex se fieri, omnes habent id, ex quo ipsæ factæ sint, vel sui factorem; sicuti turres & domus non possunt erigi à se ipsis, necessario perficiuntur artificis manu.*

III. Ce tien ti jin uu ngan nem cú cáo, chi che cie sò gvei tien chú ie. jo xi, chim, puên cú, tem grei xio cù.

H. e. *Ergò Cælum Terra, homines & creaturæ quomodo possunt à se ipsis creari? Author Rerum illarum est, quem nos nominamus Deum.* Et rursus:

IV. Uâ tien chú ce uû y pí ju ye co xu ki hoe quo chi ye ko can kiaj yeû ken ulh sem uû ken cô kiaj uû naì. chi xú chi xen, cú uû ta xem so yeû sem yè. Tien chù ki xí uen uu chi ken tî ho yeu sem hũ?

H. e. *Si non esset Deus, non essent aliæ res creatæ, e. g. unius arboris flores, fructus rami folia & truncus, omnia ex radice generantur,*

rantur, ſi non ſit radix, eo ipſo reliqua non erunt; ſed perveniendo ad Arboris radicem, omnino non eſt alia radix ex quâ naſcantur vel procedunt. Deus quandoquidem ſit radix & fundamentum rerum omnium, ex quâ alia repoteſt Ipſe procedere?

Etſi igitur hæc Infideles Atheosque convincendi methodus omnium probatiſſima atque expeditiſſima eſſe videatur, in ea tamen non ſimpliciter ſubſiſtendum, vel è Naturalibus duntaxat effectibus ſuprema Cauſa agnoſcenda ſive concludenda. Etenim cum pleriqué athei temerario (ut antea monui) molimine, omnia vel intra Naturæ terminos compingere, vel ad æternam cauſarum connexionem referre non dubitent, eapropter tales cumprimis Effectus oportet indicari, quorum cauſæ nullæ *Naturales* eſſe poſſunt, qui nec à corporeæ ſubſtantiæ finitæ potentiâ profluxere, qui deniqué communi appellatione vera ſeu DIVINA MIRACULA nuncupantur. Et licet non ideò ea facta fuerint, ut *Deum eſſe* probarent, ad illum tamen agnoſcendum jure meritoque aſſumi poſſunt, præſertim cum (Thomâ & cæteris Scho-

Scholasticis ad I. Quæst 105. & q. 114. art. 4. ostendentibus) manifestum sit, solum Deum veri miraculi authorem esse, solamque causam Efficientem. Neque verò Miraculi veri nomine omnis generis intelligenda sunt signa & prodigia, aut quæ promiscuè homines rapiunt in admirationem; neque portentosæ Dæmonis eiusque ministrorum præstigiæ, quorum licet potentia appareat incredibilis, nec ficta omnia sint quæ agit Satan, effectus tamen ab eo producti, miri potius quam miraculosi sunt appellandi, multò minus temerè ad probandam SS. Numinis existentiam in subsidium vocandi; quin potius Miraculi propriè dicti nomine h. l. intelligenda omnis actio insolita, à Deo contra vel præter ordinem totius creatæ Naturæ profecta, atque idcircò rara ardua & inusitata. *Illa* (scribit Thomas, lib. III. contra Gentes c. 97.) *simpliciter miracula sunt dicenda, quæ divinitus fiunt præter ordinem communiter in rebus servatum. Et summum gradum inter miracula tenet, in quibus aliquid fit à Deo, quod Natura nunquam facere potest; ut quod Sol retrocedit & stat, & mare diversum transe-*

unti-

untibus iter præbet. Quantò aliquid magis remotum est, à facultate naturæ, tanto maius miraculum est: ut majus est miraculum, quod Sol retrocedit quam quod mare dividitur. Talia verò miracula non nisi infinitæ potentiæ competere, adeoq; soli Divinitati esse reservata satis ex eo apparet, quod omnis creaturæ potentia Naturæ cancellis sit limitata. Hinc etiam inter præcipua Miraculorum attributa *Raritatem* esse collocandam, prudentiores quique existimant. Nec malè doctus ille Italus Paulus Zachias, (Quæstion. Medico. Legal. Lib. IV. Tit. I. quæst. 4.) Miraculorum Confictorum multitudinem perstringens; Cum (inquit) miraculum ex sui natura sit effectus admodum rarò apparens, imò ad præsens rarissimè, quia Deus Opt. Max hoc tempore de raro admodum miracula operatur, quoniam stabilita jam fide minor est vel nulla eorum necessitas; meritò quærendum videtur, unde sit, quod tam multa & tam frequenter facta indies miracula celebrentur, & quod plerosque naturales effectus, dummodo admirationis quicquam in se habeant, homines pro miraculis judicent.

cent. Nam profectò si hominum quorundam credulitati acquiescendum esset, plures omninò essent effectus miraculosi quam naturales; imò quasi otiosa videretur Natura, Deo ipso absolura sua potentia, non autem per has secundarias causas pleraque disponente. Nihil enim omninò evenit, cuius causa vulgo ignoretur, nihil quod rarum sit, nihil item quod admirationem aliquam, quantulacunque sit, secum habeat, quod ab indoctis & Rerum naturaliū ignaris pro miraculo non prædicetur. Nullus ex aliquo morbo aut periculoso aut aliàs molesto convalescit, qui non ex miraculo se id impetrasse affirmet. Nullus ab aliis qualibuscunq; imminentibus periculis aut molestantibus ærumnis eximitur, qui non miraculi favore se ab illis exemptum dicturat, tanquam si gratis Deus ad cuiusvis homuncionis nutum & petitionem naturæ ordinem pervertat, ac non potius id ipsum, ut cætera omnia summa cum Sapientia & non nisi maximis atque urgentissimis ex causis peragat. Nam profectò quando oportuit propriam potentiam incredulis hominibus patefacere, aut verita-

tatem Christianam firmiter stabilire, viderunt omnes opera Domini & mirabilia ejus. Ita Zachias, qui verbis hisce postremis disertè indicat, quænam miracula apprimè faciant ad veritatem Religionis etiam adversus atheos firmiter stabiliendam, *Opera nimirum Domini, ejusq; mirabilia ab omnibus visa*, adeoque pro veris ac propriè dictis miraculis habita, ut & ab ejusmodi distincta operationibus, quæ admirationem quidem movent, attamen admirabili quâdam sive hominum sive Naturæ ipsius solertiâ sunt patratæ. Magis profectò magisque turpissimorum istorum empæctarum (atheorum sc.) provocaret irrisionem, quisquis ad probandam SS. Numinis existentiam tales effectus (licet maximè mirabiles) assumeret, quorum causæ tandem Naturales possent investigari. Adeoque haud incommode in Scrutinio num. 24. quartam atheismi causam sive viam ad eundem specialem nuncupavi *vanissimam fictorum miraculorum jactationem:* Cùm enim (ita ibid. legitur) emunctæ naris homines deprehendunt plurima conficta miracula Eccle-

siæ

siæ Christianæ tanto molimine obtrudi, imò in Religionis negotio vulgò pluris fieri quam ipsas Scripturas, tandem prorsus in ἀπιςίαν dilabuntur, existimantes reliqua etiam omnia à Clericis ingeniosè esse excogitata, eo duntaxat fine, ut plebeæ ac vulgares animæ in officio ac devotione contineantur, & à sceleribus atque vitijs deterreantur. Imprimis autem suggestionibus istis locum dant, cum impostores talia fingentes ἐπαυλοφόρῳ deprehenduntur, aut ipsæ historiæ quam plurima ἄλογα, ἀσύσκολα, inepta, futilia, ridicula imò prorsus incredibilia exhibeant atque contineant. Quodsi verò Religionis demonstrationi Miracula præter Ordinem totius Naturæ creatæ facta supponantur, firmissimè tandem concludetur, ea nulli causæ secundæ, sed soli PRIMÆ sive Supremæ (quam DEUM dicimus) esse tribuenda. Ita quod aquæ Maris suum firmarint cursum, & tam diu instar muri steterint, donec totus Populus Israeliticus siccis pedibus transiisset, præter ordinem totius Naturæ contigit, adeoque soli DEO jure meritoque adscribendum. Cum autem tri-

bus modis aliquid præter Naturæ potentiam & ordinem contingere possit, Tres etiam distinctæ verorum Miraculorum species adversus atheos sunt producendæ: Prima scil. ubi simpliciter nulla est substrata materia, ex quâ aliquid producitur, quale miraculum dicenda miraculosa illa cibatio, Christi Salvatoris virtute facta, ut tot millibus hominum non tantum quinque panes ad satietatem sufficerent, sed & tantum ex ijs supereſſet, ut duodecim cophini implerentur. Secunda, ubi equidem materiæ aliquid adest substratæ, sed nihil potentiæ passivæ in materia, quæ se ad actionem subjecti circa se occupantis, ad id quod ex ea fieri debet, disponere possit, cujus generis exempla plurima in mortuis ad vitam resuscitatis, in cœcis item quibus Christus visum restituit, &c. sunt observanda: Ubi quidem materia fuit substrata, scil. cadaver, cæcus homo, sed in utraque materia nihil fuit quod eam actuare potuisset, merè passivè se habuit & non repugnanter ad Causæ primæ actum, quæ vitæ & visus habitum in momento totaliter restituit. Tertia denique Mira-

Miraculorum ſpecies tum emergit, ſi utrumque adſit, & materia & potentia naturalis paſſiva in ſubjecta materia, deſit autem agens ſecundum, quod actione ſua materiam illam ſubſtratam actuare poſſit, cujus exempla in morbis quibusvis à Chriſto ſanatis ſunt obvia, cum in ijsdem & materia fuerit, & potentia aliqua ad recipiendam ſanitatem, Chriſtus autem circa utramque ita ſit operatus, ut in momento pulſo morbo, ſanitatis habitum ſubſtituerit. Ille certè qui ad Bethesdæ piſcinam triginta & octo annos graviter decubuerat, eopſe momento, quo Chriſtus illi ſanitatis beneficium contulit, grabbato ſuo accepto ambulavit, Joh. V. & Socrus Petri ex febri graviter decumbens, ab ea liberata protinus, ad officia œconomica, familiæ & amicis præſtanda ſe accinxit, unde ſatis ſuperque liquet, has actiones naturæ facultatem omninò exceſſiſſe, neque ſecundum illius curſum communem, ſed à ſolo Deo patratas fuiſſe. Quales etiam in V. T. præter ordinem & potentiam Naturæ, vel ſecundum ipſam facti ſubſtantiam contigêre, ut cum grave

descendit, cum Sol in cursu constitit, aut retrogressus est; vel ex parte subjecti, quod secundum se quidem virtute naturali agere potuit, sed non tali aut hoc modo, hujus generis miraculum est censendum, quod tempore Elisæ duæ ursæ ex sylva egressæ, XLII. pueros discerpserunt, qui non tantum in contemptum personæ, sed etiam functionis propheticæ Elisæ illuserant, quamvis enim in se non superet naturæ potentiam pueros discerpi ab ursis, id tamen rationem veri habet miraculi, quod tam subitò post Vatis imprecationem binæ istæ ursæ tot pueros interfecerint. Et cum signa atque miracula illa magis attonitos reddant homines aut fortius confundant quæ in rebus seu Naturis maximis sunt patrata, quam quæ in mediocribus aut minimis; ideo hisce initio prætermissis, illa frequentius urgenda sunt atque inculcanda. Neque tamen in gravissima adversus Atheos pugna confundenda sunt miracula mediata, quæ sc. Deus Hominum vel Angelorum etiam adhibito effecit ministerio, (quale cumprimis illustre illud Josuæ, Soli & Lunæ præcipientis, ut

ut ſubſiſterent tantiſper, donec vindicata eſſet Gens Iſraelitica ab hoſtibus ſuis, Joſ. x. 12. 13.) cum immediatis, quæ Deus ſola ſua virtute abſque ullius creaturæ miniſterio edidit, veluti dum reduxit umbram decem gradibus in ſolario Achazi, Solemque retrocedere fecit, II. Reg. xxi. dum ignem de cœlo miſit accendentem ſacrificia; dum item Chriſtus tot graves ac deſperatos curavit affectus, mortuis etiam vitam quandoque reſtituit, utpote Filiæ Jairi Matth. ix. 21. Filio unigenito viduæ in Nain Luc. vii. 15. Lazaro Bethanienſi, Joh. xi. 7. Quæ *Reſuſcitationis* miraculoſæ opera (licet mediatè interdum per Sanctos Homines Prophetas & Apoſtolos facta,) præter totius Naturæ ordinem contigiſſe, adeoque veras Dei Omnipotentis actiones dicendas eſſe, quâ tandem obſecro ratione atheus inficiabitur? Neque verò quisquam mortalium aut præſumere aut excipere poteſt, fictas, non veras eſſe iſtas miraculoſæ reſurrectionis hiſtorias, aut ementita univerſa, quæ ſive de Prophetarum ſive Chriſti & Apoſtolorum miraculis divini ſcriptores commemoraverint;

verinit; Præterquã enim quod ambigendi nulla idonea ratio ſit in promptu, omnisque humana dictet ratio, fidem probatis teſtibus neutiquam eſſe denegandam, donec contrarium liquidò poſſit demonſtrari, ita quoque cum bonæ fidei & famæ Viris agendum veniat, uti nobiſcum aliquando agi velimus; nullo profectò colore Miraculorum iſtorum veritas in dubium poteſt vocari, & nullis cavillis ſtrophisque Satanicis obfuſcari. Quî obſecro Moſes comminiſci potuiſſet miracula à Deo in gratiam Iſraelitarum patrata, cum ille dictorum factorumque ſuorum αὐτόπτας habuerit ſexcenta virorum millia, quos ſimul omnes, nil niſi vana mendacia, ſomnia, præſtigias, & impoſturas ſuis auribus audiviſſe, ſuis oculis vidiſſe, ſuis manibus contrectaſſe, ſua mente præcepiſſe, quis niſi auribus oculis manibus ipsaque mente orbatus affirmaverit? Quid, quod narrata à Moſe miracula, numero plurima, propterea haud quaquam in dubium poſſint vocari, quod à duriſſimæ cervicis populo, & ad quamlibet contradicendi occaſionem intento audita, viſa, percepta, imò

imò ad istorum ἀνοσιότητα subinde à Mose provocatum fuerit; nec è memoria hominum (post instituta in gratiam eorum certa festa solemnia ad tempus usque Messiæ habenda,) deleri, nec pro Magicis venditari, cũ Magos & ariolos ipse potius damnaverit, nec in rebus toties sensibus omnibus & effectu diuturno probatis, ullus præstigiis, incantationibus aut superstitionibus locus remanere potuerit. Qualis etiam de Christi & Apostolorum historia ferendus calculus, quam fictam aut pictam, potius quam factam aut veram esse nemo nisi extremæ impudentiæ & imprudentiæ reus pronunciaverit. Etenim cum res â JESU Nazareno eiusque discipulis miraculosè gestas, mox insperata & inaudita Mundi immutatio, totque Gentium ad Christianam fidem conversio exceperit, hujusque doctrinæ sigilla, Miracula scil. fama longè lateque dicta, Orbis propemodum universi conspectui exhibita fuerint, nullam fraudem, nullum fucum aut glaucoma ibi subesse potuisse certissimè colligitur. Et cum Evangelistæ (non mendaculi poetæ, non rhetores garruli, non sophistæ

captioſi, non philoſophi glorioſi) omnes miraculorum virtute Chriſti patratorum, cumprimis iteratæ reſuſcitationis circumſtantias accuratiſſimè conſignaverint, profectò non ſolum notoriæ & propudioſæ falſitatis, ſed extremæ etiam dementiæ ac deploratæ inſaniæ exemplum dediſſent, ſi tanta figmenta tam exquiſitis verbis tot populis perſuadere, & pro confictis à ſe mendaciis, tot probra, tot flagra, mortem deniqúe contemtiſſimam ſuſtinere induxiſſent animum. Corn. Tacitus Lib. xx. poſtquam Veſpaſianum Imp. Alexandriæ cœcum curaſſe tradidiſſet, notanter addidit: *quod teſtantur, quibus nullum mendacio pretium:* Quis igitur negare auſit Miracula à Chriſto eiuſque diſcipulis patrata, præſertim toties factam mortuorum reſuſcitationẽ, tot tantisq; teſtibus confirmatã, & iis quidem potius quam ut taceant, bona vitamque contemnere paratis? Præclare non nemo obſervat, ipſos atheos nobis opponere profanas Reſuſcitationis hiſtorias, in Gentili Orbe quondam celebratas; Nam Alceſtim (ajunt) Peliæ filiã, & Admeti Phæreorum Regis conjugem Hercules ad vitam

vitam reduxisse dicitur. Erichto Thessalica malefica ad vitam revocavit militem recenter occisum, qui Pharsalici belli eventum Sexto Pompejo prædixit. Apollonius Thyanæus emortuam puellam vitæ restituit. Zacla Ægyptius sacrificulus mortuum cadaver suscitavit; nonne Plinius attestatur, Aviolam Virum Consularem, L. Laviam, Cælium Tuberonem, Corfidium, Gabienum & alios defunctos resurrexisse: nonne Plato refert Phæreum Pamphilium inter eos qui acie ceciderant, decem diebus jacuisse, biduoque postquam sublatus esset, rogo impositum, supervixisse. Quibus sive putidissimis gentilium fabulis, sive turpissimis dæmonum præstigijs atque impostoris fidem si tribuant ipsi athei, quomodo eam (salvo pudore suo) divinis verè miraculosæ resuscitationis historijs denegare valebunt? Quibus tandem admissis creditisque, licet omnes ingenij & eruditionis suæ adhibeant machinas, neutiquam tamen firmiter demonstrabunt, in causam aliquam naturalem mortuorum refundi posse verè factam resuscitationem; cùm naturalis-

impossibilitatis ratio satis ex eo appareat, quod à totali privatione ad habitum non detur regressus, nec idem numero re produci unquam possit, adeoque ad illlud divinus planè concursus requiratur. Et cum naturalia agentia, virtutis suæ exercitio, ad producenda individua ejusdem quidem speciei, sed numero distincta determinentur, hinc rectissimè colligitur, id quod semel corruptum est, servato naturali ordine non posse idem numero ad vitam revocari. Quodsi deinceps atheo clarissimè ostendatur, Mortuorum Resuscitationem, neque in occultas herbarum lapidum & Animalium proprietates, neque in animæ sensitivæ species & phantasmata, nec in spiritus & vapores à corpore exhalatos, nec in angelos seu intelligentias; nec in astra, neq; in ullam aliam causam naturalem referri posse, (id quod prolixè & egregiè Mersennus cap XXIII. f. 575. seqq. præstitit;) necesse tandem est asserere, vel effectum illum esse sine causa Efficiente, (quod manifestam involvit repugnantiam) vel aliquam esse Causam, supra totam Naturam altissimè collocatam, à qua talia opera miraculosa

patrata

patrata fuerint. Sic garrula perverſorum ratio omnipotentiæ Divinæ impiis ſuis ſubſannationibus inſultare ceſſabit; Sic etiam ij qui Scripturam Canonicam pro infallibili Religionis agnoſcunt principio, deſinent proferre objectiones atheorum dubitationibus non abſimiles, neque poſthac in Natura & Ratione quærere conabuntur, quod à ſola Divina potentia eſt expectandum. Sic denique ipſi à putidisſimis iſtis Pſeudo-Chemicorum abhorrebunt artificiis, quorum in Epiſtola ad Celeb. D. Meibomium de Radice Atheiſmi plurimam feci mentionē. Equidem ſi vitali quodam ſemine prædita eſſent defunctorū corpora, certè id Philoſophos Veteres ſagaciſſimos Rerū Naturalium indagatores minimè latuiſſet, at verò latuiſſe nefandi eorum de Reſurrectione & vita futura ſarcaſmi abundè teſtantur. Quæ verò præter coñemorata, ad convertendos Atheos, Deumque Opt. Max. agnoſcendum & colendum aſſumi poſſunt miracula, vel in Cœlo ſunt obſervata, vel in Terra cœterisque elementis, in Aquis, aëre, igne, petris, lignis, plantis, jumentis &c. inter quæ illuſtre eſt illud in aſina Bileami; vel

vel in creatura rationali seu homine. in miraculosa morborum curatione aut illatione, vel in rebus quibusdam cum stupore & tremore repræsentatis, vel in subita vindicta, aut etiam præmio de cœlo misso deprehensa; Ea inquam omnia, si è Sacrarum Literarum monumentis, priscæque Ecclesiæ Historicis, Eusebio, Nicephoro, Socrate, Theodoreto; Doctoribus item Justino & Tertulliano, (in cuius Apol. c. 5. celebris illa de Legione fulminatrice, & c. 23. de cessatione oraculorũ extant historiæ (studiosè collecta, atheis etiam desperatissimis in mentem revocentur, dubium non est quin aut eorum ora in perpetuum obstruantur, fiantque ἀναπολόγητοι, aut salutari SS. Numinis sensu & cognitione gratiæq; divinæ lumine collustrati, Deum esse tandem fateantur. Nec enim ullius momenti est inepta ista persuasio, quà miseri in tantam incidunt dementiam, ut cum ipso DEO alios Spiritus negare haud vereantur, quod scil. à priori non possint demonstrari, nec sensibus nostris illos attingere valeamus. Certum namque est levissimam hanc (cui homines carnales innitantur)

tur) rationem ab ipsis Gentilibus derisam atque rejectam fuisse. Siquidem Cotta apud Cicer. I. de Nat. Deor. Vellejo partes Epicureorum agenti, hæc verba reposuit: *Nihil aliud dicis nisi, nunquam vidi Solem, aut Mundū beatū. Quid? Mundum præter hunc unquam ne vidisti? Negabis. Cur igitur non sexcenta millia Mundorum, sed innumerabilia ausus es dicere?* (Epicurei enim dicebant esse infinitos Mundos) *Ratio docuit. Ergo hoc Te ratio non docebit, cum præstantissima natura quæratur, eaq; beata & æterna, quæ sola in divina natura sunt &c. An quicquam tam puerile dici potest, (ut eundem locum diutius urgeam) quam si ea genera belluarum, quæ in rubro mari Indiave gignantur, nulla esse dicamus? Atqui ne curiosissimi quidem homines exquirendo audire tam multa possunt, quam sunt multa, quæ terra mari q; paludibus, fluminibus existunt, quæ negemus esse, quia nunquam vidimus.* Et cur obsecro in huius veritatis negatione tam fixi persisterent Athei, cum in aliis rebus credendis minimè se præbeant difficiles. Credunt enim Indos esse, quos nunquam viderunt, credunt esse monstra marina plurima, aliaque

à Pli-

à Plinio, Livio cæterisque historicis enarrata, quæ oculis ipsi neutiquã usurparunt, Ciceronem fuisse credunt & Cæsarem, at Deum esse, quâ ratione tandẽ diffiterentur? Unde pro certissima habent veritate, quod Patrum suorum sint filij, annon quia matres ipsorum hoc dixêre? at nec ipsæ hoc certò scire potuêre, cum obstetrices alios filios substituere potuerint. Anne eos latet, quod de pauciſſimis tantum rebus demonstratio fieri soleat, quam plurimæ habeant probabilitatem, & ea quæ scimus, magna ex parte fidei innitantur; ut propterea D. Augustinus integrum librum de utilitate credendi composuerit. Quid, quod nonnulli (monente Henrico Moro Lib. II. adversos atheos cap. 2.) possibile judicaverint, ipsam mathematicam evidentiam (quæ tamen maxima habetur,) nihil aliud quam constantem & quæ retegi nequit esse impostoram; cui nostra natura necessariò & perpetuo sit obnoxia, hominisque proprietatem essentialem esse, tum maximé errare, cum rem evidentissimè veram concipiat; Et Franc. de Raconis part. III. philos. Disp. 3. quinque modos enu-

enumeret, quibus ſenſus maximè errare poſſit. Quare licet Deus ipſe & immateriales ſubſtantiæ oculis corporalibus non videantur, id profana ſeculi mancipia ad fidem omnem divinam & humanam elevandam haud quaquam allicere, nec in horrendam iſtam de *SS. Numinis non-exiſtentiâ* deducere deberet ſententiam. Præſertim cum communi de Deo notioni, non tantum aſſurgat imperita vulgi multitudo, ſed & omnes omnium ætatum Viri doctiſſimi ea ſe perſuaſos eſſe profiteantur. Sint aliquæ Gentes quæ Deos ignorent, quæ ore quæ factis negent, omnes tamen religione continentur metuque Numinis. Quin & ipſa idloloatria quo fœdior eſt, & inanibus figmentis addictior, tantò evidentius arguit inſitum eſſe hominibus à natura ſenſum divinitatis, & ob id communi conſenſu in omnibus Nationibus ſacrificia olim oblata, templa ædificata, vota fuſa fuiſſe. Alia alibi religio eſt, ubique aliqua, nec in veteri & noſtro ſolum Orbe hoc apparuit, ſed in rudi illo novo, ubi inter barbaros feros ſatis conſpicua Religionis veſtigia ſunt obſervata.

vata. Ut proin rectè Seneca, nullam Gentem adeò extra leges moresque projectam existimaverit, ut aliquos Deos non credat. Et Maximus Tyrius verè collegerit, nullum esse hominum genus, neque barbarum neque Græcum, sive in mari vivat sive in continente, quod non aliqua cultus Deorum signa erigat sive symbola. Si enim terras obeas, inquit Plutarchus in Colote, invenire possis urbes muris, literis, Regibus, domibus, opibus, nomismate carentes; urbem vero ἄθεον Templis Diisque carentem, quæ precibus, jurejurando, oraculo non utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris avertere nitatur, nemo unquam perlustravit. Egregiè in hanc rem illustris Mornæus cap. I. de Ver. Rel. Christ. Ut hi (inquit) Libri omnibus patent, Mundus inquam & homo, ita ex horum lectione omnes omninò Gentes Deum didicerunt, etsi diversi diversa de eo conceperint; percurre enim Orbem ab ortu ad occasum, à Septentrionibus ad Austrum: perlustra mente quotquot antecesserunt secula: quotquot viguerunt Regna: ipsa demum scrutare barba-

barbarorum ſive luſtra ſive mapalia; ubicunque homines inveneris, ibi continuo Religionem & Numinis cultum, ibi Sacrorum ritus, preces denique & ſacrificia reperies; diverſa quidem hæc & confuſa, at in eo ſaltem congruentia, quod Deus eſt. Tam forti arieti ſi nondũ cederet Atheus, quidni ad propriæ tandẽ conſcientiæ teſtimonium eſſet remittendus? Et verbis quidem Iuſti Lipſii, Cent. II. Epiſt. 26. *Conſule Te ille ipſe qui diſſentis, in rectè factis ecquid lætari aut diffundi Te ſentis; contrahi in ſceleribus & angi? ne diſſimula, ſentis, at q, id etiam in occultis. Unde autem ille alteruter ſenſus, niſi quia animus judicat Iudicem alium eſſe, & aliquid homini præter hominem timendum, quod profectò eſt Numen.* Inde in ſceleratiſſimis quibusque aculei conſcientiæ; quæ ſontes ad Dei Tribunal invitos pertrahit, & efficit, ut peſſimus quisque ſupremum Iudicem maximè exhorreſcat, & qui rebus proſperè fluentibus omnem de Deo cogitationem excuſſerat, in ſubitis periculis omnibus artubus contremiſcat, Cœlum ſuſpiciat, Deum ingeminet. Si mors eminus digitum intenter;

tet: vah! quomodo expalleſcit & exanimatur, in extremo jactatur agone, ac horrendis cuncta implet boatibus; tandemq; deſperabundus quamcunque Religionis captat umbram, quemcunque divinitatis ſenſum amplectitur. Quid, quod minimarum etiam rerum pavor Dei confeſſionem ab invitis extorqueat; Ut enim quisque eſt audaciſſimus Dei contemptor, ita vel ad folii cadentis ſtrepitum maximè perturbatur. Quæ etiam cauſa eſt cur Nero tantis fuerit agitatus furiis, tantis accenſus tædis, qui tamen Seneca Præceptore ſuperior, & duodecim Tabularum Legibus exemptus. Nemo in audaciorem, aut effrenatiorem Numinis contemptum prorupiſſe legitur quam C Caligula; at nemo etiam trepidavit miſerius, cum aliquod iræ divinæ ſe proferret jndicium; adeò, ut Deum, quem ſtudebat ex profeſſo contemnere, invitus etiã exhorreſcere cogeretur. Unde obſecro id? nonne ex divinæ majeſtatis ultione, quæ illorũ conſcientias eò vehementius percellit, quo magis eam refugere conantur. Si itaq; omnes Deum malitiosè negantes ſecũ ſæpiꝰ habitarent, propriamq; con-

consulerent conscientiam, nec affectatas ignorantiæ tenebras Naturali lumini offunderent, Deum quem hactenus spreverunt facilè agnoscerent, nec inviti animum ad Divini Numinis dimitterent majestatem.

Quandoquidem verò abunde hactenus experientia docuit, plurimos ex isto profanorum hominum consortio DEI Opt. Max. confiteri quidem existentiam, veruntamen admirandam eius impetere PROVIDENTIAM, & ex consequenti solummodo ipsam negare Exîstentiam, (cum hæc illi tam arcte sit connexa, ut una absque altera nec esse prorsus, nec ut oportet credi possit;) ideò in gravissimo hoc conversionis negotio, præcipua rationum momenta in promptu esse oportet, quibus demonstremus, DEUM Res creatas omnes admirabili suâ conservare *Providentia*, & unam quamque earum ad finem dirigere sibi convenientem, imò sine providentiâ nec Deum Deum esse posse, qui Res omnes sapienter condiderit. *Etenim quis operator* (egregiè scribit Ambrosius Lib. 1. de offic. c. 13.) *negligat operis sui curam? quis deserat & destituat, quod ipse condendum*

dum putavit? Si injuria est regere, nonne est major injuria feciſſe? cum aliquid non feciſſe nulla injuſtitia ſit, non curare quod feceris, ſumma inclementia. Quod ſi aut Deum creatorem ſuum abnegant, aut ferarũ & beſtiarum ſe haberi numero cenſent; quid de illis dicamus, qui hâc ſe condemnant injuria? Hæc Ambroſius contra Atheos & Epicureos divinæ providentiæ hoſtes acerrimos, quibus non ſolum Deum non eſſe, ſed injuſtum etiam ac crudelem fore oſtendit, ſi Mundum quidem produxerit, eundem tamen providentia ſua gubernare nolit. Et ſane cum Creatio majorem propemodum vim requirat quam providentia, ſiquidem longè difficilius ſit rem primo extra nihilum producere quam productam fovere ac tueri; hinc à fortiori præclarè colligitur, Deum hujus Univerſi creatorem & conditorem facilè operis quod molitus eſt ſui curam gerere poſſe, quemadmodum omnis artifex, quo eſt præſtantior, eo operis ſui tuendi ac perpoliendi ſtudioſior deprehenditur, imò cunctas res creatas iſtam Dei providentiam neceſſariò exigere, nec puncto quidem tem-

temporis durare posse, ni à Conditoris sui vi atque potentia ijsdem succurratur. *Et quis non sentiat* (dico cum Lactantio Lib. III. Instit. div. c. 9.) *hunc Mundum tam mirabili ratione perfectum, aliquâ providentia gubernari? quandoquidem nihil est, quod possit sine ullo moderatore consistere, sic domus ab habitatore deserta dilabitur, navis sine gubernatore abit pessum, & corpus relictum ab anima defluit, ne dum putemus tantam illam molem aut construi sine artifice, aut stare tam diu sine Rectore potuisse.* Ita Lactantius, cui jungendi cæteri antiquæ Ecclesiæ Doctores, qui vel ex instituto de providentia scripserunt, ut Chrysostomus per tres libros & sermones sex, itemque Hom. IX. ad pop. Antioch. & Hom XXXIII. in Genes. Theodoretus, Lib. VII. Græc. Affect. & Serm. X. de provid. Salvianus Lib. VIII de eâdem; vel aliis libris sparsim eam attigerunt, ut August. Lib. V. de Civ. D. cap. 9. & Lib. V. de Gen. ad lit. c. 21. Lib. III. de Lib. Arb. Lib. I. & II. de Ord. Clem. Alex. Lib. I. & V Strom. Cyrill. Alex. Lib. III. & V. contra Julian. aliique adversus inertes philosophos &

Epicuri de Grege porcos, divinam providentiam in dubium vocantes, ipsam illam copiosè demonstrarunt. Atque his Veterum Theologorum, Res conditas summa cura à Deo regi docentium, argumentis addenda etiam alia, quæ vel ex Dei naturâ, proprietatibus, scientiâ, bonitate, justitia, immensitate, omnipotentia, vel operibus ejusdem generalibus æque ac specialibus, vel Creaturis ipsis, ex animantium stirpiumque generatione, humanorum vultuum diversitate, corporum structura, rerumque omnium varietate & inconstantia depromuntur. Huc quidam etiam Divinæ providentiæ extra ordinem admiranda documenta referenda esse existimant, nimirum res cunctas inopinatas, nullo humano vel sensu, vel nutu, vel motu quasi ἀπὸ μηχανῆς factas, constructas, atque editas, ac proin animos mortalium percellentes, inque Deum Deive Angelum auctorem attollentes; quo in genere admirabiles enumerant casus, qui non nisi certa Numinis providentia annuente fieri potuissent, ut & panicos terrores repentè immissos (de quibus videndi

Erasmus

Eraſmus in Chiliad. p. 766. & Angelus Politianus Miſcel. cap. 28. Opp. f. m. 249.) nec non omnia in universum portenta, quæ juxta Ciceron. Lib. I. de Divin. oſtendunt, monſtrant prædicunt, quæ ſupra naturæ facta vim, perculſis conſternatisque hominum mentibus ad præmonendos triſtiſſimarum rerum caſus ſpectanda à Deo proponuntur; qualia nonnunquam eſſe videntur prodigia tempeſtatum; Terræ motuum, Aquarum, ignium pluviarumque prodigioſarum; Aëris item, præter modum ventis concitati, malorum epidemicorum, &c. prolixè & erudite memorata ab Edone Neuhuſio Lib. II. Fatid. Sacr. c. 8. Alia ex hiſtoria Biblicâ, Eccleſiaſticâ, profanâ, ipſa demique experientiâ collecta in Θεολογία à D. Danhavvero, p. 19. ſeqq. *Corripuit* (ita Neuh. l. d. f. 151.) *Anno 1524. universam Germaniam Tempeſta, toto anno, pluviarum, grandinum, tonitruum & ventorum turbulentia inſigni; qua velut diſruptis nubibus, atq; effuſis Cæli catarractis, extrema terris pernicies incubitura videbatur, mari fluminibusq; cum magna villarum animantiumq; ſtrage*

exundantibus. Sequuta est statim seditio Rusticorum oppido deploranda: quorum multa millia paucos intra dies, pecudum more jugulata interierunt. Tum Roma, Borbonio Duce capitur & diripitur, Franciscus Rex in Cæsaris venit potestatem, Britannici sudoris lues Europam pervagata innumeros mortales suffocavit. Ita verò ab illo tempore commutatus est rerum omnium status, ut Natura deposito veteri habitu, novata videretur. Sic cum in Cæsarem Carolum Dux Clivius Wilhelmus; in Henricum Brunsuic. Landgravius Philippus armaretur, in Monasterienſi agro sanguis de cœlo stillavit. Et cum Mauritius Saxo cum Alberto Marchione anno 1553. cruentam iniret pugnam, omnis circa Erfordiam & Lipsiam ager cruoris imbre tabuit, ad Misniæ Fribergam anno insequenti, cœlum sanguineis guttis roravit. Nostro seculo mirum *Pluræ* fatum (ut alia nunc taceam) multos in stuporem dedit, *quo* scil. (scribente Cluvero) *rupes altissimâ Dei abscissa manu vesperascente* XXV. *Aug. die Pluram oppidum uno momento ita obruit, ut ictu oculi ad sesquimille homines interirent,*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 3;Leibn. Marg. 72, [110] - 104
PUBLIC DOMAIN

rent, nec oppiduli vola aut vestigio relicto. Loco Castelli lacus jam apparet, sesquimilliari Italico longus. Quis nos metuat Deum meritas impietati pœnas molientem? Etsi verò in nulla re cautius sit agendum, quam portentorum prodigiorumque ejusmodi coram atheis commemoratione, præsertim cũ Scriptura Sacra nullum nobis fundamentum suggerat, ut certa ominemur ex prodigijs; quin imò grave nonnunquam scandalum ex nimia & superstitiosa eorum observatione acceperint athei, atque vix meliori fundamento cætera niti credederint; attamen cum plurima insueta Naturæ portenta & gravem sæpissimè hominibus dederint noxam, & majorum malorum in futurum præbuerint documenta, haud omnino nullũ ad generandum in miseris seculi mancipijs atheisque (practicè saltem talibus) divinæ providentiæ pariter ac existentiæ sensum, & emollienda saxo quovis duriora pectora facere videbuntur. Quanti verò ponderis ac momenti sint argumenta, adversus cœlestem de SS. Numinis providentia veritatem ab improba mortalium colluvie excogi-

excogitata, inde colligere licet, quod cum (Mario Merſenno teſte,) quidam de eâ dubius, Franciſco Humbloto LXXX. rationes propoſuiſſet, quibus dæmon ab ejus mente Dei providentiam tollere niteretur, ac ille primam ſolito fervore, libentiſſimoque animo facile diſſolviſſet, reliquarum nebulæ ita diſcuſſæ fuerint, ut eas omninò neglexerit, & in vera de Deo fide conſtantiſſimè perſtiterit. Et ſanè ſi ab improbis iſtis aliquas impietatis ſuæ, negatæque divinæ providentiæ rationes exquiras, nil certè præter ſacrilegas calumnias, aut continuas querelas exaudies, nunc quod Bonis mala, nunc quod malis bona contingant. Bonos (inquiunt) ſæpenumero calamitatibus miſerrimè affici videmus, malos & ſceleratos contra bonis jucundiſſimè potiri, adeò ut Euripides in Bellerophonte indignabundus dixerit, οὐ γὰρ ἄξιον λύσσειν φάος κακοὺς ὁρῶντας ἐνδίκως τιμωμένους: *Indignum eſt Cœlum ſuſpicere, malos cum videamus injuſtè honoratos.* Si verò Deus eſt, providere debet, ut bonis benè, malè verò malis ſit, inquiebat Telamon; Cernimus autem bonos & innoxios domo privari,

vari, patrimonio ſpoliari, ſuppliciis, igne ferro, cruceque tolli; impios contra divitiis, honoribus, & gloria ſæpius evehi & omni bonorum genere velut ſatiari & usque ad cœlum tolli. Hinc Archelaus Macedoniæ glorioſus imperat, licet fratris, patrui & patruelis immanis ſicarius fuerit; Agamemnon verò Rex bonus, atque acerrimus armis, ab adultero adulteraq; exceptus dolo interemptus eſt, ſicut & Hercules, qui cū de rebus humanis optimè meruiſſet, à Dejanira venenatus, & incautus confectus eſt. Pompejo contra jus fasque omnia miſcenti proſpera omnia, Reip. cauſam defendenti omnia adverſa atq; contraria cecidêre. Atque hâc de cauſa Diagoram Mileſium, uno omnium ore proclamatum atheum, perfricta fronte divinam providentiam pernegaſſe nonnulli teſtantur.

Annon verò præpoſtera Tibi CL. Vir infrunitorum illorum videtur opinio, imò ingens ſtupor, ſic de Dei foro ſcelerum expectare vindicationem, ut in foro civili vindicantur. Quantò enim altior Dei intellectus, quam ſapientiſſimorum hominum eſt,

est, quanto glorioſior & excelſior ipſius majeſtas, quam maximorum Imperatorum, tantò longius ipſius juſtitia & providentia in punienda improborum malitia humanam vindictam ſupergreditur; nec iisdem cum illa ſtatutis, iisdem terminis & anguſtiis, iisdem animadvertendi modis ſe adſtringi patitur. Etſi enim in benè conſtituta Republica quiſque ſceleris patrati convictus ad debitum juſto zelo rapiatur ſupplicium, aut alia quâcunque ratione ad criminis menſuram coërceatur; nihil tamen eſt quod Deum ad pœnam improbis quantocyus infligendam adigat atque compellat, neque ob id nimiæ aut iniquæ lenitatis accuſari ſanctiſſimum Numen poteſt, quod peſſimos quosque ſæviſſimosque hoſtes aliquandiu in bonos graſſari permittit, cum digna injuriarum illatarum animadverſio non tam læſis & afflictis innocentibus, quam divinæ ipſius immutabilique juſtitiæ debeatur. Nimis profectò temerarium eſt SS. Numinis ſapientiæ juſtitiæque tempus præſcribi, & modum ſtatui à ſciolis, ubi & quo pacto ad punienda malorum ſcelera proce-

procedere debeat, potius non nisi Ipsius arbitratui & arcanæ voluntati ea sunt committenda. Floreant igitur dum vivunt improbi, omnium bonorum apparatu gaudeant, decedant tandem felices quasi ex hâc vitâ, neutiquam tamen horrendum Numinis judicium pœnasque nequitiæ æternas effugient, sed hoc daturi graviores, quo præfractius summam ineffabilemque Dei longanimitatem toto vitæ curriculo sunt aspernati. Etenim non secus Deus cum illis atque severus Judex est acturus, ubi desperato ad frugem reditu anima è corpore tot vitiorum maculis fœdata, tot læsæ conscientiæ stimulis sauciata miserè aliquando exulabit. Tantum igitur abest ut ex felici improborum successu Dei accusari possit justitia, aut negari providentia, ut potius ejus hinc bonitas patientia & mansuetudo longè lateque diffusa maximis elogiis laudanda sit atque celebranda.

Quicquid verò malorum Piis & bonis in hâc vitâ obvenit, id æque Divinæ providentiæ ac summæ ergâ eos benignitati est tribuendum; si enim bonis omnia succe-

cederent prosperè, si divitiis abundarent, si à cæteris suspicerentur, si nunquam ægrotarent, dolerent, incommoda sentirent, parum sæpius imbecillitatis suæ essent memores, nec rebus præclare gestis animos ita submitterent, quin & vulgus existimare facilè posset, eos non suapte sponte colere pietatem, sed illa quasi mercede allectos & invitatos: At cum eos non egestas, non ignominia, non corporis cruciatus, non mortis metus à Dei cultu possit abducere, clarissimè apparet, virtutem, honestatem & Deum imprimis ipsum ab eis propter se, non verò aliquam mercedem amari. Quin imò tantò certius hinc constat, haud morte finiri omnia, sed aliam supersse vitam, in quâ & præmium tribuatur justis, à sceleratis pœna gravissima exigatur. Si enim homines innocentissimos in vitâ hâc nunquam à molestiis respirare videamus, sed perpetua calamitatum serie premi, cogitemus necesse est, aut (quod ipsa Natura abhorret ac refugit) Deum esse injustum, aut post hanc vitam esse bonis ac probis præmia ex Dei solius gratia & benignitate constituta. Cæterum Annon Plo-

Plotinus homo Ethnicus adverſus Gnoſticos, multa ex iis, quæ vulgò mala videntur, bona eſſe locupletiſſimè demonſtravit? Annon calamitatem Virtutis occaſionem Seneca in ſuo de provid. lib. appellavit? *Illos* (inquit) *meritò quis dixerit miſeros, qui nimia felicitate, torpeſcunt, quos velut in mari lento tranquillitas itineris detinet, quicquid illis inciderit, novum veniet*; tandemque naturæ ſolum lumine colluſtratus in hæc verba erumpit: *Hos itaq; Deus quos probat, quos amet, indurat, recognoſcit, exercet, eos autem quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis ſervat. Erratis enim, ſi quem judicatis exceptum. Sed veniet ad illum diem fœlicem ſua portio. Quisquis videtur dimiſſus eſſe dilatus eſt. Deus optimum quemq; aut mala valetudine, aut luctu aut incommodis afficit. Dicant quicunq; jubentur pati timidis ignavisq; flebilia, digni viſi ſumus Deo, in quibus experiretur, quantum humana natura poſſet pati. Fugite delicias, fugite enervatam felicitatem, niſi aliquid intervenit, quod humanæ ſortis admoneat.* Quemadmodum etiam Heſiodus teſte

teste Plutarcho, ista quæ vulgo mala nuncupantur, tanquam Deorum dona est veneratus; divitias verò & Imperia tanquam fortunæ ludibria cum Platone, Anaxagora, Thalete, alijsque alto despicere supercilio consuevit. Cum itaque ex ipsorum Gentilium confessione manifestum sit, in ipsis rebus adversis justos & virtute præditos bonis melioribus affici, quam in omnibus prosperis atque voluptatibus improbos, ea propter non est quod Athei nullam esse reputent divini Numinis providentiam, si bonos tribulationibus impeti, malos verò divitijs & voluptatibus diffluere videant, quin potius exin ad agnoscendam & deprædicandam optimi Numinis Sapientiam atque longanimitatem se credant invitari, ac ultro adduci patiantur.

Ast cum melior atque sublimior DEI Opt. Max. cognitio non nisi ex VERBO ejus revelato petenda sit atq; haurienda, siquidem is qui se rudiori penicillo in Naturali Lumine ac Creaturarum speculo adumbravit, idem se in verbo vivis coloribus expressit; addo quod in ipsa operum Dei contem-

contemplatione cæcutiamus, nisi Scripturæ S. quasi admotis conspicillis, distincta appareant, quæ ægrè internoscebantur; hinc omni deliberandum erit studio, quâ ratione potissimum illius authoritas irrefragabilis miseris ac infelicibus atheis ita sit persuadenda, ut documenta Verbo Dei revelata facilius concoquere avidiusque arripere possint. Licet verò inter exquisitas summæ authoritatis notas, atque criteria in Scrutinio jam jam commemorata, facilè præcipuum sit ipsius Spiritus Sancti Testimonium seu vis eius arcana, occultis aculeis fodicans corda legentium & audientiũ, omnique ratione potentior, ad quam idoneis verbis explicandam omnis languet oratio, & verba infra rei magnitudinem subsidunt; ab eà tamen in Atheorum (qui rident & elevant quæcunque ipsi non sunt experti, & Dei virtutem suo stupore metiuntur) conversione haud quaquam faciendum initium, nec jubeantur expectare donec Spiritus S. in ipsorum cordibus immediatè de Scripturæ authoritate testetur, verum pressius urgenda interna cœlestis authoritatis indicia, utpote Antiquitas Scri-

pturæ infallibilis, cum nulla Religio vetuſtiorem Scripturam Scriptoresq; habeat quam Iſraelitica, & quæ eodem fundamento nititur, Chriſtiana, imò omnis liber quantumlibet antiquus, novus ſit ſi cum Scripturæ antiquitate conferatur. Græcia tradente Joſepho Lib. I. contra Apion. nullum vetuſtiorem librum habet Homeri poemate, eiusque Sapientes multis poſt Salomonem annis floruerunt, & quamvis Homero antiquiores ſint priſci Gentilium Poetæ & Theologi, Orpheus, Linus & Muſæus, Moſe tamen longè recentiores fuêre, cum is coætaneus Cecropis primi Athenienſium Regis extiterit, ſicuti ex antiquis Eccleſiæ Doctoribus Auguſt. Lib. XVIII. de Civ. Dei, cap 39. Euſeb. in Chronici ſui procœmio, Juſtinus in Paræ-netico, Tertullianus in Apologetico præclare oſtenderuut. Quid, quod nullum aliud ſcriptum reperiatur, quod huius univerſi originem tam accuratè exponat, temporumque ſeriem per tot annorum millenarios nos edoceat, cum in Gentilium monumentis plusquam cimmeriæ de tantis rebus tenebræ deprehendantur, imò ante

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 3;Leibn. Marg. 72, [120] - 114
PUBLIC DOMAIN

te olympiadas (quarum in annum M. 3174. cadit initium) in historia Gentilium omnia confusionum plena fuisse, ipsi profani atheique fateantur. Nec minus egregium Vetustatis documentum Lingua Hebræa suppeditat, quâ Moses & Prophetæ usi, quæ uti antiquissima, ita omnium matrix meritò à D. Hieronymo appellata, in sola familia Eberina post γλωσσοσύγχυσιν retenta, & cum eâ Sacrosanctæ doctrinæ puritas atque integritas propagata. Alterum inter summæ authoritatis criteria locum meritò ipsa Rerum in sacro hoc volumine contentarum Majestas obtinea, cum profana Gentilium scripta de suorum Deastrorum sceleribus, stupris incestuosis, voluptatibus, Sodomia, parricidiis, mendaciisque personent; Sacer Codex de DEI unius sanctissimi, justissimi, veracissimi, sapientissimi voluntate ac operibus nos instruat, ex Lege eius Justitia & Sanctitas, ex Evangelio misericordiæ & justitiæ temperamentum mirificè eluceſcat; & cum antiquissima etiam Gentilium monumenta, vel exiguâ lectorem perfundant voluptate, vel hujus tantum vitæ commo-

da doceant, hoc ſcriptum viam ad ſalutem ſempiternam monſtret, finemq; ultimum, ut æternum benè ſit, præfixum habeat. Accedat Tertiò admirabilis Scripturæ S. harmonia, & pulcherrima Librorum omnium congruitas, quod licet haud ab uno authore, nec uno eodemque tempore ac loco conſcripti fuerint, ſed à primò Scriptore ad ultimum aliquot annorum millenarii interjecti, quia tamen uno Spiritu unoque ore Moſes, Prophetæ & Apoſtoli ſunt locuti, hinc ſuaviſſimus totius corporis concentus, & concatenata univerſi Codicis Παναρμονία ubique deprehendatur. Et quamvis interdum Antilogiæ quædam in Hiſtoricis cumprimis & Chronologicis in obtutum veniant, eæ tamen non ex Scriptura ipſa, ſed vel à fontium ignoratione, vel perfunctoriâ vocum, phraſium, contextûs, ſcopi, circumſtantiarum, paralleliſmorum conſideratione, vel præconcepta opinione, vel analogiæ fidei neglectione & precum intermiſſione originem traxiſſe videntur. Quartò in graviſſima adverſus atheos pugna provocandum erit ad evidentiſſimum Sacrorum VATICINIORUM

RUM complementum, cum disertis semper Prophetarum Sanctorumq; hominum prædictionibus eventus responderit exactissimè, ijque de rebus longissimè absentibus & futuris tanquam de præsentibus imò præteritis sæpè sint locuti, nec unquam fefellerint. Enimverò quo afflatu potuit Esaias Cyrum nominare, & prædicere eum fore Judæorum Liberatorem, annis circiter 160. antequam Cyrus nasceretur? Aut quis alius nisi Dei Spiritus potuit prædicere Jeroboamo, Regem, proditurum de stirpe Davidis nomine Josiam, qui altaria profana everteret & disturbaret? idque 356. annis anteqnam id est adimpletum? Annon Jeremias Lxx. captivitatis Babylonicæ annos præfinivit? Daniel ab instauratione urbis edicto Artaxaxis Longimani concessa ad Christi mortem septuaginta annorum hebdomadas, I. e. 490. annos præcisè computavit. In mentem sibi atheus præsertim politicus ea solum revocet, quæ à Daniele de quatuor Monarchiis, imprimis Tertiâ, (Babylonico Imperio adhuc durante) sunt prædicta, quomodo eventu ad unguem om-

nia completa fuerint, ut non vaticinia sed historiæ esse videantur, atque à nullo alio suggeri Prophetæ potuerint, quam ab eo cui prævisa pariter ac provisa sunt omnia. Quintò haud prætereunda sunt ingentia atq; stupenda miracula, quanta per Mosen & Prophetas in Veteri, Christũ & Apostolos in Novo Testamento patrata, qua Majestate lex fuerit promulgata, quæ prodigia in Ægypto & deserto facta, eaque non in angulo & inter paucos testes, sed inspectante & indignante tota Ægypto, & sub oculis sexaginta myriadum armatorum & numerosissimæ Gentis, quæ Manna vescebatur, columnam ignis præeuntem sequebatur, clangorem Tubæ audiebat, montem ardentem, & flammarum globos, advolutos cum horrore contemplabatur: porrò quam solidè summa oraculorum divinorum authoritas per ea miracula confirmata, quam aptè doctrinæ generi (Legi terribilia; Evangelio gratiosa) accomodata, quam latè eorũ fama non ad Gentiles tantum propagata, sed etiam cum illustriore gradu ad Ecclesiam essent vocandi, Verbo annunciato, miraculorum re-

respectu apud ipsos fides eò facilius impetrata fuerit. Quam maximè etiam urgenda SacriCodicis inter tantos Sathanæ furores per tot annorum millenarios conservatio, & ad nostra usque tempora propagatio; quamvis enim non semel sed iterum iterumque Orbis & orcus junctis quasi copiis in ultimam doctrinæ hujus sanctissimæ perniciem conspiraverint, nec minus in ipsa corrupta hominis natura, ac cumprimis ἰῶν ἀδέων cordibus, vatinianum quoddam adversus DEI verbum, (suis quippe affectibus è diametro adversum) resideat odium, quo ad Garamantas usque & Indos relegatum optent & è rerum natura sublatum, fremens insuper furensque Dæmon in quasvis occasiones intentus, totque damnorum Regno suo per Scripturam illatorum memor, partim aperta violentia, partim operta fraudulentia protinus eam evertere laboraverit; salva tamen & superstes usquequaque manserit, nec ad eam extinguendam aut Antiochi Epiphanis immanis sævitia; aut Julij Cæsaris, Diocletiani, Juliani Apostatæ aliorumque Tyrannorum versipel-

lis impietas; aut Porphyrij vel Luciani virulenta scripta, quin & ipsæ inferorum portæ quicquam valuerint, aliorum scriptis oblivione dudum sepultis, & ita perennaverit, ut nec apex perire possit, quin statim ejus jactura per Masoram vel Sacram Criticam queat deprehendi, Tyrannis contra Antiocho Epiph. Julio Cæs. Juliano, (quorum jussu tot scripti hujus exemplaria Vulcano fuerunt consecrata) alijsque persecutoribus & empæctis, horrendis pœnis miserabiliter mulctatis, ac cum infamia perpetua ad orcum relegatis & damnatis. Nec denique parum ad Scripturæ authoritatem atheis persuadendam facere videtur quod Josephus Orig. Lib. XII. c. 2. tradat, apud Ptolemæum Philadelphum, de Libris Sacris Hebræorum, Regis Bibliothecarium Phaleræum ex Hecatæo Abderita hæc esse locutum: Alios Historicos mentionem hujus Scripturæ non feciſſe ὡς ἁγνῆς ὔσης καὶ μὴ δεῖν ἀυτὴν βεβηλοῖς σώμασι διασαφεῖσθαι. *Quia cum pura sit & sancta, nefas fuerit eam profano ore explicari.* Ibidemque Phaleræum eundem ex Aristæo retulisse: Theopompum

pum aliquid excerptum ex divino volumine Historiæ mandare cœpisse: sed totos quadraginta dies vertigine percussum donec per ἀνέσεις seu lucida quædam intervalla placato precibus Deo ab incepto destitisset, admonitum postea per somnũm sibi hæc accidisse, quod circa divina περιεργάζεσθαι voluisset; eodemque modo Theodecten poetam cum in Tragœdiam quandam aliquid ex Sacris Libris inserisset, offusa caligine ab incœptis desistere debuisse.

His itaque motivis cum præparatus & occupatus hominis athei animus, jamque sublimius aliquid & augustius de Libro hoc rebusque in eo contentis cogitatione concepit, succedant subinde argumenta magis cogentia, & mentem intrinsecus ἀμεταπτώτως convincentia, quæ cum in ipso Scrutinio sint proposita, inque Theologorum scholis passim obvia, silentio jam prætereunda existimavi. Non item externas & aliunde adscitas persuasiones, quas uno verbo vocamus Testimonia; Horum cum quædam domestica sint, seu ab amicis profecta, quædam extranea seu ab hostibus prolata, probè considerandum, quæ

ad persuadendam Sacri Codicis authoritatem, ipsamque atheorum conversionem aptiora videantur? Ut ut Verò domesticum illud sive ipsius Ecclesiæ de verbo Dei scripto testimonium, ordine primum appareat, in pagani tamen atheique alicujus conversione haud esse videtur primarium, cum ab ipsâ Scriptura non prorsus sit separatum, imò hæc Ecclesiam nobis audiendam & sequendam commendaverit, adeoque regressu demonstrativo ex Scripturis Ecclesia cognoscatur. Addo quod perpetua non fuerit ea Ecclesiæ felicitas, nec illustre semper & diffusum in Orbe præconiũ, ut infideles ad sacrorum dogmatũ consideration em ac solertem investigationem allicere trahereque potuerit, quin potius sæpissimè partim aperta persecutorum tyranide, partim mirabili temporom atque dogmatum inter se dissensione nitida Ecclesiæ facies valdè obscurata atque horribilem eclipsin passa fuerit. Quid quod malignantium etiam Ecclesiæ, & Idololatricæ congregationes, adornatis tot tantisque pomparum ceremoniarumque solemnibus omnium in se oculos converterint, & ad stu-

ſtuporem uſque fixos detinuerint. Magis igitur extranea Teſtimonia ad confundendos atheos conducere videntur, dum juxta Deut. XXXII. 31. *Inimici noſtri ſunt Judices*, cum Judæi, Turcæ, Gentiles, Chriſtianorum Religioni & revelationi, vel inſcii & inviti illuſtria dederint ſuffragia, atque præjudicia; illi verbis & factis, vita pariter ac doctrina orthodoxiam noſtram, & ſuam apoſtaſiam hactenus confeſſi; iſti (Turcæ nimirum) propheticis & apoſtolicis oraculis multum tribuentes, ipſum Salvatorem noſtrum JESUM CHRISTUM tanquam indubitatum magnumque Prophetam ſint venerati, inque Alcorano ſuo azoar. 53. *Chriſto non credentes punitum iri* diſertè ſtatuerint, & Elmacino (Hiſtor. Sarac. Lib. I. c. 1.) teſte, eum Dei Spiritum, Deique Verbum appellare, & cum Moſaicâ Lege etiam Evangelium approbare non dubitaverint; Hi denique ſive Gentiles plurima in ſcriptis ſuis Codici Biblico præbuerint teſtimonia, quæ cum ab iis, qui de Religionis Chriſtianæ veritate egregios conſcripsêre commentarios aliisq; authoribus ſint corroga-

rogata, ea prolixè recenſere ſuperſedeo. Quodſi igitur ad hunc modum in graviſſimo iſto negotio, nimirum τῶν ἀθέων converſione procedatur, aſſiduisque precibus Sacroſancti Numinis imploretur auxilium, de ſucceſſu feliciſſimo vix ac ne vix quidem amplius dubitandum eſſe videbitur. Faxit id ipſum, ut deteſtandum illud axioma, quod in corde ſuo profundiſſimè inſcripſerunt athei, radicitus evellamus, ut nullus deinceps futurus ſit impius, qui dicat in corde ſuo *Non eſt DEUS*, ſed omnes CORDE, ORE, OPERE

DEVM OPT. MAX. ESSE

Fateantur. Faxit quoque, ut ſerio eos pœniteat, qui tam deteſtando errori hactenus fuerunt impliciti, ac deinceps ex SS. Numinis veneratione & cultu ſummam lætitiam, omnia proſpera & infinitam felicitatem conſequantur. Vale Vir Graviſſime, & Tuas in me explicare perge Virtutes, Pietatem, eruditionem, prudentiam, & quâ Amicos complecteris, omnis fuci neſciam humanitatem. DAB. AUGUSTÆ VINDELICORUM KAL. FEBRUARII. clɔ lɔ ɔLXVIII. POST

POST-SCRIPTVM.

QUam haud adeò pridem à Celeberrimo D.D. PHILIPPO JACOBO SPENERO, Fautore & Amico meo obſervandiſſimo accepi NATURÆ ADVERSUS ATHEOS CONFESSIONEM, ingeniosè admodum conſcriptã, pariter ac plurimùm ad convincendos convertendosq; atheos conferentem; eã Tibi VIR PRÆCLARISSIME tuiq; ſimilibus pietatis ſolidæ cultoribus, gloriæq; divinæ vindicibus gratiſſimã fore exiſtimãs, huic de ATHEISMO ERADICANDO EPISTOLÆ duxi ſubjungendam.

CONFESSIO NATURÆ CONTRA ATHEISTAS

PARS I.

Quod ratio Phænomenorum Corporalium reddi non poſſit, ſine incorporeo Principio, id eſt DEO.

DIvini ingenij Vir Franciſcus Baconus de Verulamio rectè dixit, philoſophiam obiter libatam à DEO abducere, penitùs hauſtam reducere ad eundem. Experimur hoc ſeculo noſtro, feraci pariter ſcientiæ & impietatis,

tis. Cùm enim excultis egregiè mathematicis artibus, & rerum interioribus per Chemiam & Anatomiam tentatis appareret, plerorúmque rationes ex Corporum figurâ motúque velut mechanicè reddi posse, quos Veteres vel ad solum Creatorem vel ad nescio quas incorporales formas retulerant; tùm verò ingenioſi quidam primum tentare cæperunt, possent ne Phœnomena naturalia, seu ea quæ in corporibus apparent, salvari & explicari, Deo non suppositò, nec ad ratiocinandum assumto: mox ubi paulum res uccessit (Antequam scilicet ad fundamenta & principia veniſſent) velut gratulantes securitati suæ permaturè prodiderunt, se neque DEUM; neque immortalitatem Animæ naturali ratione reperire, sed fidem ejus rei vel præceptis civilibus vel historiarum relationi deberi, ita censuit subtiliſſimus Hobbes, inventis suis meritus hoc loco fileri, nisi autoritati ejus in deteriùs valituræ nominatim obviam eundum esset. Atque utinam non alij, longiùs progressi, jamque de Scripturæ sacræ autoritate, de veritate historiarum, de historiarum relatione dubitante Atheismum Mundo non obscurè invexissent.

Hoc verò mihi admodum indignum visum est animum nostrum sua ipsius luce, id est Philosophia præstringi. Cæpi igitur ipsemet inquisitioni rerum incumbere, tanto vehementius, quanto ferebam impatientius, me maximo vitæ bono, certitudine scilicet æternitatis post mortem, &

spe

ſpe divinæ beneficentiæ in bonos ac innocentes aliquando apparituræ, dejici per ſubtilitates novatorum.

Sepoſitis igitur præjudicijs & dilata ſcripturæ & hiſtoriæ fide, anatomen corporum mente aggrediar, tentaturus an eorum quæ in corporibus ſenſu apparent, rationem reddere poſſibile ſit, ſine ſuppoſitione cauſæ incorporalis.

Ac principio hodiernis philoſophis, Democriti & Epicuri reſuſcitatoribus, quos Robertus de Boyle corpuſculares non ineptè appellat, ut Galilæo, Bacono, Gaſſendo, Carteſio, Hobbeſio, Digbæo facilè condeſcendendo aſſenſus ſum, in reddendis corporalium Phænomenorum rationibus neque ad Deum, neque aliam quamcunque rem, formamque aut qualitatem incorporalem ſine neceſſitate confugiendum eſſe,

(Nec Deus interſit, niſi dignus vindice nodus - - - inciderit) Sed omnia quoad ejus fieri poſſit, ex natura corporis, primisq; ejus qualitatibus: Magnitudine, Figura & Motu deducenda eſſe.

Sed quidſi demonſtrem, ne harum quidem primarum qualitatum originem in natura corporis reperiri poſſe? Tum verò fatebuntur, ut ſpero, naturaliſtæ noſtri, corpora ſibi non ſufficere nec ſine principio incorporeo ſubſiſtere poſſe. Demonſtrabo verò nec obſcurè nec flexuosè.

Si ſcilicet qualitates iſtæ ex definitione corporis deduci non poſſunt, manifeſtum eſt eas in corporibus ſibi relictis exiſtere non poſſe. Omnis enim

enim affectionis Ratio vel ex re ipsa, vel ex aliquo extrinseco deducenda est. Definitio autem corporis est spatio inexistere. Et omnes homines illud dicunt, corpus, quod in spatio aliquo reperiunt, & contra quod corpus est, in spatio aliquo reperiunt. Constat hæc definitio duobus terminis spatio, & inexistentia.

Ex spatij Termino oritur in corpore magnitudo & figura. Corpus enim eandem statim magnitudinem & figuram habet cum spatio quod implet. Sed restat dubium cur tantum potius & tale spatium impleat, quam aliud, & ita cur exempli causa sit potiùs tripedale quam bipedale, & cur quadratum potius quam rotundum. Cujus rei ratio ex corporum naturâ reddi non potest, eadem enim materia ad quamcunque figuram sive quadratam sive rotundam indeterminata est. Duo igitur tantum responderi possunt, vel corpus propositum quadratum fuisse, ab æterno, vel ab alterius corporis impactu quadratum factum esse, siquidem ad causam incorpoream confugere nolis. Si dicis: ab æterno fuisse quadratum eò ipso rationem non assignas, quidnî enim potuerat ab æterno esse Sphæricum? æternitas quippe nullius rei causa intelligi potest. Sin dicis alterius corporis motu quadratum factum esse, restat dubium cur figuram talem vel talem ante motum illum habuerit; & si iterum rationem refers in motum alterius, & sic in infinitum, tum per omne infinitum responsiones tuas novis quæstionibus

nibus prosequendo, apparebit nunquam materiam deesse quærendi rationem rationis, & ita rationem plenam redditam nunquam esse. Apparebit igitur ex natura corporũ rationem certæ in iis figuræ & magnitudinis reddi nõ posse. Diximus definitionem corporis duas habere partes: Spatiũ & inexistentiam; Sed ex voce spatii oriri magnitudinem aliquã & figuram, sed non determinatã; ad terminũ verò inexistentiæ in illo spatio pertinet motus, dũ enim corpus incipit existere in alio spatio quam prius, ex ipso movetur. Sed re accuratius perpensâ apparebit ex natura quidẽ corporis oriri mobilitatem, sed non ipsum motum. Eò ipso enim dum corpus propositum est in spatio hoc: etiam esse potest in alio æquali & simili prioris, id est potest moveri. Nam posse esse in alio spatio quam prius, est posse mutare spatium, posse mutare spacium est posse moveri. Motus enim est mutatio spacii. Actualis autem motus ab inexistentia in spatio non oritur, sed potius corpore relicto sibi contrarium eius, nempe permansio in eodem, seu quies. Ratio igitur motus in corporibus sibi relictis reperiri non potest. Frustraneum igitur est illorum effugium, qui rationem motus sic reddunt: Omne corpus vel motum esse ab æterno vel moveri ab alio corpore contiguo & moto. Nam si dicunt corpus propositum motum esse ab æterno, non apparet cur non potius quieverit ab æterno, tempus enim, etiam infinitum, causa motus intelligi non potest, Sin dicunt cor-

pus propositum moveri ab alio contiguo & moto; idq; iterũ ab alio, sine fine; nihilo magis rationem reddiderunt, cur moveatur primũ, & secundũ & tertium vel quotumcunq;, quamdiu non reddidêre rationem cur moveatur sequens, à quo omnia antecedentia moventur. Ratio enim conclusionis tam diu planè reddita non est, quamdiu reddita non est ratio rationis. Præsertim cum hoc loco idem dubium sine fine restet.

Satis igitur, opinor, demonstratum est: determinatam figuram & magnitudinem, motum verò omnino ullum in corporibus sibi relictis esse non posse. Tacebo hoc loco, quia altioris indaginis res est, ne causam quidem consistentiæ corporum hactenus ab ullo ex ipsa corporum natura redditam esse.

A consistentia autem corporum est (1) quod corpus grande parvo impellenti non cedit, (2) quod corpora aut partes corporum sibi invicem cohærent, ex quo oriuntur qualitates istæ tactiles quas vulgo fecundas vocant, nempe soliditas, fluiditas; durities, mollities; glabrities, aspritudo; tenacitas, fragilitas; friabilitas, ductilitas, malleabilitas, fusibilitas, (3.) quod corpus durum corpori non cedenti impingens reflectitur. Breviter à consistentia tria sunt: Resistentia, cohærentia, reflexio. Quarum rationem qui ex materiæ figura magnitudine & motu mihi reddiderit, eum ego magnum philosophum libens fatebor. Unica prope via apparet, nempe corpus ideò corpori impellenti resistere, & ipsum repercutere, quia

quia ipsius partes in superficie insensibiliter in occursum eius moveantur. Sed supponamus corpus impingens non ea linea, qua partes corporis impellendi occursura sunt, sed alia, obliqua fortasse incidere; eo ipso statim omnis reactio, resistentia, reflexio cessabit contra Experientiam. Sed cohærentiæ ratio à reactione & omnino motu, plane reddi non potest. Nam si chartæ partem impello, pars quam impello, cedit, ideò aliqua reactio, & motus resistentiæ fingi non potest. Sed non cedit sola, sed reliquas partes sibi adhærentes simul aufert. Sanè verum est, & rationem habet, quod olim Democritus, Leucippus, Epicurùs, & Lucretiùs, hodiè sectatores eorum Petrus Gassendus & Joh. Chrysost. Magnenus prodiderunt; Omnem in Corporibus Cohærentiæ causam esse naturaliter figuras quasdam implicatorias, nempe: hamos, uncos, annulos, eminentias, breviter, omnes duorum corporum curvitates vel flationes sibi invicem insertas. Sed hæc ipsa instrumenta implicatoria solida, & tenacia esse necesse est, ut suũ faciant officium & Corporũ partes contineant. Sed unde ipsis tenacitas? an hamos hamorum supponemus in infinitum? Sed quæ dubitandi ratio in primis esit, ea & in secundis & tertiis erit sine fine, Ad has difficultates acutissimis istis philosophis nihil aliud superfuit quod responderent quam ut supponerent in ultima corporum resolutione insecabilia quædam corpuscula, ipsi Atomos vocant, quæ variis suis figuris va-

riè combinàtis varias corporum ſenſibilium qualitates efficiant. Sed in iſtis ultimis corpuſculis nulla apparet ratio cohærentiæ & inſecabilitatis.

Reddidere aliquam veteres, ſed ita ineptam ut eius recentiores pudeat. Scilicet partes Atomorum ideo cohærere, quia nullum intercedat vacuum; ex qua ſequitur, omnia corpora quæ ſe ſemel contigerunt, inſeparabiliter ad atomorum exemplum cohærere debere, quia in omni contactu corporis ad corpus nullum intercedit vacuum. Quâ perpetuâ cohærentiâ nihil eſt abſurdius, nihil ab experientiâ magis alienum. Recte igitur in reddenda Atomorum ratione confugiemus ad Deum denique, qui ultimis iſtis rerum fundamentis firmitatem præſtet. Et miror neque Gaſſendum neque alium inter acutiſſimos hujus ſeculi philoſophos, præclaram hanc demonſtrandæ Divinæ Exiſtentiæ occaſionem animadvertiſſe. Apparet enim in extrema corporum reſolutione Dei auxilio carere naturam non poſſe.

Cum autem demonſtraverimus corpora determinatam figuram & quantitatem, motum verò illum habere non poſſe, niſi ſuppoſito Ente incorporali, facilè apparet illud Ens incorporale pro omnibus eſſe unicum, ob harmoniam omnium inter ſe, præſertim cum corpora motum habeant, non ſingula á ſuo Ente incorporali, ſed à ſe invicem. Cur autem Ens illud incorporale hanc potiùs quam illam magnitudinem, figuram, motum eligat, ratio reddi non poteſt, niſi ſit intelligens

gens, & ob rerum pulchritudinem ſapiens, ob earum obedientiam, ad nutum, potens. Tale igitur Ens incorporale erit Mens totius Mundi Rectrix, id eſt DEUS.

PARS II.

Mentis humanæ immortalitas continuo ſorite demonſtrata.

MEns humana eſt Ens cuius aliqua actio eſt cogitatio.

Ens cuius aliqua actio eſt cogitatio, eius aliqua actio eſt res immediate ſenſibilis ſine imaginatione partium.

Cogitatio enim eſt res (1.) immediate ſenſibilis, mens quippe ſe cogitantem ſentiens ſibi immediata eſt (2.) Cogitatio eſt res ſenſibilis ſine imaginatione partium. Hoc experienti clarum eſt. Cogitatio enim eſt hoc ipſum neſcio quod, quod ſentimus, quando ſentimus nos cogitare. Quando autem verbi gratiâ ſentimus nos cogitaſſe de Titio non ſolum ſentimus nos Titii imaginem, quæ ſanè partes habet, habuiſſe in animo, quia hoc non ſufficit ad cogitationem.

Habemus enim imagines in animo etiam quando de iis non cogitamus; ſed ſentimus præterea, nos illam Titii imaginem advertiſſe, in qua advertentiæ ipſius imaginatione nullas partes deprehendimus.

Cuius aliqua actio & res immediate sensibilis sine imaginatione partium,

Eius aliqua actio est res sine partibus.

Nam quale quid immediatè sentitur, tale est. Erroris enim causa est medium, quia si objectum, sensus esset causa erroris semper falso sentiretur; sin subjectum, semper falso sentiret,

Cuius aliqua actio est res sine partibus, eius aliqua actio non est motus.

Omnis enim motus habet partes per demonstrata Aristotelis & omnium confessionem.

Cuius aliqua actio non est motus illud non est corpus.

Omnis enim corporis actio est motus. Omnis enim rei actio est essentiæ variatio.

Corporis essentia est: esse in spatio, existentiæ in spatio variatio est motus.

Omnis igitur corporis Actio est motus.

Quicquid non est corpus, non est in spatio.

Corporis enim definitio est esse in spatio.

Quicquid non est in spatio, non est mobile.

Motus enim est mutatio spacii.

Quicquid non est mobile est indissolubile.

Dissolutio enim est motus secundum partem.

Omne indissolubile est incorruptibile.

Corruptio enim est dissolutio intima.

Omne incorruptile est immortale.

Mors enim est corruptio viventis, sed dissolutio eius machinæ per quam quid apparet se movere.

Igitur

Igitur

MENS HVMANA EST IMMORTALIS

Quod erat demonstrandum.

ADDITAMENTUM.

INter cætera illustria miracula ad convincendos convertendosque atheos haud abs re assumenda, Epistolæ hujus fol. 92. referendam esse scripsi memorabilem illam LEGIONIS FULMINATRICIS seu Fulmineæ historiam; cujus non solum prisci aliquot Scriptores Christiani, Justinus Martyr, sub Apol. II. finem, Tertullianus Apologetici sui cap. V. Apollinaris Hierapol. in Phrygia Episcopus, Eusebius Lib. V. Hist. Eccl. c. 5. Nicephorus Lib. IV. c. 12. Gregor. Nyssenus in Quad. Mart. alijque plurimi; verum ipsi etiam Scriptores profani Ethnicique Dio Cassius & Julius Capitolinus expressam fecere mentionem. Cùm enim Marcus Aurelius Imp. in media Germania suo cum exercitu montibus undique conclusus, ingenti aquæ penuria laboraret, miraque siti vexaretur, Christianos est co-

hortatus, ut opem â DEO peterent, àtque aquam precibus impetrandam curarent. Nondum Christiani finem imposuerant precibus, & ecce tonitrua audiri, & fulmina micare cœperunt, pluvia divinitus missa, ex qua Romani milites sese recrearunt, hostes verô magna ex parte fulminibus tacti interiere, quæ res effecit, ut Marcus Aurelius Christianos mirum in modum commendaverit, eamque militantium Christianorum copiam fulminantium seu LEGIONIS FULMINEÆ nomine nobilitaverit, quin imò universæ Religioni Christianæ egregiam concesserit immunitatem, scripta peculiari ad Senatum Rom. Epistola, à probatissimis auctoribus consignata, cujus latinum exemplar ex ipsa Bibliotheca Vaticana depromptum, Angelus Rocca erudito suo de eadem Commentario inseruit, in hanc verborum formam.

IMP CÆSAR M. AVRELIVS. ANTONINVS AVGVSTVS. PARTHICVS. GERMANICVS. SARMATICVS. PONTIFEX. MAXI-

XIMVS. TRIBVNITIÆ POTESTATIS. XXVIII. IMP. VII COS. III. PATER. PATRIÆ. PRO. COS. S. P. Q. R. S. D.

Certiores vos feci de Consilij propositiq́ mei magnitudine, & quæ in Germania mihi in discrimine atq́ obsidione, alia ex alijs acciderunt, quum in eius medio, labore atq́ æstu confectus fuissem. Sane dum Carnuti essem, speculatores nobis indicarunt septuaginta quatuor hostium Dracones prope nos novem millibus adesse: idemq́ Pompejanus, quem bello Ducem præfecimus, quod nos quoq́ videbamus renunciavit. Cumq́ in nostrorum militum exercitu haberemus tantum legiones Primam, Decimam, Geminam & Fretensem: hostium verò nongentorum & septuaginta septem millia; meas q́ ipsius copias cum ingenti barbarorum atq́ hostium exercitu comparassem, Deos patrios votis susceptis rogavi. Sed cum ab eis negligerer, meq́ ab hostibus premi animadverterem, copiarum mearum paucitatem contemplatus, eos qui apud nos CHRISTIANI dicuntur accersivi ac rogavi, invenique magnam eorum multitudi-

tudinem: illosq; minis compuli, quod minimè decuerat, propterea quod postea illorum vim ac potestatem cognovi. Itaq; non ad telorum præparationem, non ad armorum, neque ad tubarum usum se contulerunt: hoc enim illis facere Dei causa & nomine, quem in conscientia gestant gratum non est. Æquum igitur est, ut quos impios esse, & à Deo alienos opinabamur, existimemus DEO munitos esse. Cum enim se humi projecissent, non solum precati sunt pro me, sed etiam pro toto hoc exercitu, ut famis ac sitis qua urgebamur remedium aliquot afferretur: quinque enim diebus aquam non sumpseramus, quod ea non suppeteret. Eramus enim in media Germania montibus undiq; concluſi. Simul autem atque humi sese abjecerunt, ac Deum illum precati sunt, quem ego ignorabam: statim ê cælo pluvia delapsa est, in nos quidem frigidissima, in Romanorum vero hostes grando, ignis specie ac similitudine, & fulmina; eorumq; orationibus ac precibus statim præsto DEUS fuit, qui neque vinci neque expugnari potest.

teſt. Quamobrem illinc exorſi, concedamus talibus ut ſint Chriſtiani, ne qua arma eius generis contra nos petant & impetrent. Cenſeo autem neminem, quod Chriſtianus ſit, eſſe in crimen & in judicium vocandum. Quod ſi quis inventus fuerit, crimini dare cuipiam quod Chriſtianus ſit, ei quidem qui in crimen vocatur manifeſtum fieri volo, ſi nihil aliud objectum eſt, quam quod Chriſtianus tantum, dimitti: cum autem qui Chriſtianum accuſavit, vivum exuri: illum verò, qui Chriſtianum ſe eſſe profeſſus fuerit, periculo omni, quod ob eam rem ei intendebatur, liberatum; is cui provincia commiſſa eſt, nequaquam ad pœnitentiam adigat, aut libertatem ei adimat. Hæc autem S. C. etiam ſanciri volo; atq; hoc meum edictum in foro Divi Trajani provoni, ut legi poſſit. Curæ autem erit Vetraſio Pollioni Præfecto Vrbi, ut ad omnes provincias hæc conſtitutio mittatur: neque quisquam, qui eam exſcribere, vel ipſa uti voluerit, prohibeatur. Valete.

Hactenus

Hactenus Marci Aurelii Imp. Epistola: quam nemo hactenus conficta vel supposititiam vocare ausus fuit; etsi scriptores quidam profani, illustre illud fulmineæ Legionis miraculum auxiliumq; divinitus obtentum Christianis acceptum ferre dubitaverint, attamen de eo quemlibet certiorem reddit ipsa quæ extat Antonini constitutio, quam favorem Christianorum gratitudinis loco sancivit. Id verò haud minorem meretur observationem, quod illius divinâ virtute editi miraculi memoria peculiari Columnæ Antonini olim fuerit insculpta, sed imagine quadam, quæ Jovem Pluvium imbres & fulgura demittentem, atque ex altera parte Romanos recreatos ac lætabundos, ex alterâ verò barbaros fulminibus occisos repræsentat, ad hunc modum:

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 3;Leibn. Marg. 72, [146] - 140
PUBLIC DOMAIN




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 3;Leibn. Marg. 72, [147] - -
PUBLIC DOMAIN

Hoc vetuſtiſſimum Legionis Fulmineæ monumentũ multis in locis fractum, Sixtus V. Papa (refer. Rocca l. c.) ſumo ſtudio magnaq; impenſa reſtaurandum, & in priſtinam formam reſtituendum curavit. Et quamvis præclarum adeò gloriæ auxiliiq́ue cœleſtis documentum adjecta ſuperſtitione Ethnica valde ſit obſcuratum, nihilominus egregium victoriæ Chriſtianæ de barbaris reportatæ trophæum ſuppeditat, ſiquidem ipſe Imp. pluviæ munus Chriſtianorum precibus *divinitus datum* per publicas literas confeſſus fuerit, atque Dion Caſſius diſertè ſit teſtatus, unam Chriſtiani nominis Legionẽ illud pluviæ donum impetraſſe. Quid quod aliam etiam fulminei huius Numinis imaginem in picta quadam tabula ſe vidiſſe teſtetur Themiſtius Philoſ. Orat. ad Imp. Theodoſ. nondum editâ & ab Henr. Valeſio in notis ad Euſeb. Hiſt. Eccleſ. commendata, ut proin ipſius hiſtoriæ veritas haudquaquam ab Atheo in dubium vocari, quin potius per eam profligata DEI Opt. Max. memoria ad animum illi revocari poſſit.


FINIS.

Farb.: nr. 6

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 3;Leibn. Marg. 72, [148] - 142
PUBLIC DOMAIN




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 3;Leibn. Marg. 72, [149] - -
PUBLIC DOMAIN




GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 3;Leibn. Marg. 72, [150] - -

PUBLIC DOMAIN


GWLB Hannover 35
036 828 076
I 688

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 3;Leibn. Marg. 72, [151] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 3;Leibn. Marg. 72, [152] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 72, Stück 3;Leibn. Marg. 72, [153] - -